HEROICI CHARACTERES.

AD

ILLVSTRISSIMVM EQVITEM,

Henricum Nevillum.

AVTORE,

Georgio Carletono.

OXONIÆ,
Excudebat Iosephus Barnesius. 1603.

AD ILLVSTRISSIMVM EQVItem HENRICVM NEVILLVM.

SI tibi (nobilium ô ſoboles illuſtris avorum,)
Optando deus obtulerit di ſcrimine nullo
Turbatam, ac dubiâ ſine ſollicitudine vitam
Eligeres: non tu optares per vota quietem
Fortunæ nimium nec blandimenta beatæ:
Nec di ſcrimina vitares, ſed crimina vitæ.
Quos deus erectos ad celſa negotia mittit,
Sæpiùs adverſæ prudens ſub turbine voluit
Fortunæ: viresq; etiam tolerando miniſtrat
Maiores divina manus; vel ad ardua natos
Excelſoſq; animos etiam ipſa pericula formant.
Vt probitas generoſa auri fornacibus exit
Purior: adverſo luctans diſcrimine virtus
Haud ſecus ipſa ſui preßurâ ornata relucet.
Quippe malos timor excrucians vt acerbior ignis,
Vrit, & expectant ea quæ meruere nocentes.
Et vigilans formido mali violentiùs intus
Verberat, & lentis miſeros cruciatibus angit.
At bona ſpes pulchras animas, rectiq; ſequaces
Implet: In adverſis facies delectat honeſti:
Et ſibi mens conſtat ſemper, ſibi conſcia recti.
Tuq; adeò ne cede malis, ingentia quamvis
Heroum iaceant in pulvere corpora: quamvis
Inpoſitas caßes virtus ſe incautior egit.
At tibi virtutes varias, animoſq; peracres
Et ſincera fides, & mens vigilantior ornat.

Nec te pæniteat quòd venti ad vota secundi
Non fuerint; Deus ecce adversis erudit, armat
Quos amat, & quos iam magnarum ad munia rerum
Instituit, tolerandi vltrò virtutibus ornat.
Quippe gubernandi palmam feret ille magister,
Non qui securam tranquilla per æquora nauem
Dirigit, & maris irati discrimine nullo
Tentatam tandem sperato in littore sistit:
Sed subitis uentis ac tempestatibus actam
Qui regit arte ratem. Spes factis præmia iustis
Præripit, hinc surgunt animæ patientis honores.
Indignata fugit nigras patientia mentes.
At tu nobilium laudes & facta parentum
Nobilitate animi præuertas, præmia fact is
Percipe digna tuis, testes habiture Camænas
Virtutemq; ducem; recto grassabere calle
Quà clausum patefecit iter Rex optimus; Ibis
Quò deus & tua te virtus vocat inclyta: vitam
Exercet fortuna tibi; regit inclyta virtus.
Iidem animi, atq; eadem tibi spes sub vtroq; resurgit
Ordine fortunæ, nec enim sublata secundis,
Fracta nec aduersis similem constantia servat,
Fortunâ variante, modum. discrimine virtus
In medio versata, suo contenta decoro,
Expectat nunquam morituræ laudis honores.
Lubrica nutantē rapit inconstantia mundum,
Incertosq; hominum casus, ceco sq; labores
Præcipitante rotæ fortuna volumine torquet.
Maxima pars, velut in tenebris, ad culmina rerum
Per scelerum cumulos clausis perrumpit ocellis;
Exultat q; malus. In quorum iusta ruinam
Excubias agit ira dei; tolluntur in altum
Vt lapsu grauiore ruant; tandemq; superbis

Per-

Perpetuas diuina vices vindicta reponit.
Interea sincera fides velut exul oberrat,
Perq; nefas premitur pietas. sed libera tandem
Excussis vinclis recta ceruice resurgit.
Carceribus clausus, pedicisq; reuinctus Ioseph
Turpe cubile diu nactus, turpesq; tenebras,
Et pressus (miserum) ferri grauitate sonantis,
Expiraturus fœdo languebat in antro.
At, quamvis oppressa, tamen patientia vicit,
Excussis tenebris, excusso compede tandem,
In summa, è summo squallore triumphat in arce.
Ist hac sub tabulæ facie propè vita piorum
Pingitur: ingq; vices varias modò tristia iustos
Cum gemitu ferunt, contrà modò læta recurrūt.
Nos quoq; nostrum etiam post nubila tempora solem
Quamvis obductum, quamvis sub nube latentem
Expectamus: & ô scelerum caligine victa
Approperet tandem toto lux aurea cælo.
Iam quia te virtus albo signauit in isto,
Si licet, ô nostris qui feceris otia musis,
Nominis vmbra tui magnorū emblemata parva
Protegat Heroum: solito hæc quoq; suscipe vultu.
Illa quidem maioribus attollenda cothurnis
Quis negat? vltrò etiam teruis tentamina musæ
Agnosco, nec in hac quicquàm me gloria laude
Sollicitat: nec me vatis pro crimine nomen
Obiectum fallit. Quin contra murmura vatem
Tu clypeo defende tuum. Cantata per orbem
Et sine vate sibi per se celeberrima gesta
Heroum, sat erit nostram tentasse Camœnam.

AD SERENISSIMAM PRINCIpem Elizabetham Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginam.

Carmen Panegyricum:

Nympha senescentis rarissima gloria mundi,
Respice sidereâ florentes pace *Britannos*,
Et populi studia, & cœlo pendentia sceptra.
Aurea felici redeunt sub *Principe* sæclâ.
Iam redit & *Virgo*, redeunt quæ tempora prisci
In votis habuere patres. Leo mitior herbas
Libat, & obiectas socio partitur avenas
Cum bove: iam cicures veniunt ad pocula pardi,
Blandior & positâ feritate leunculus agno
Securo comes ire solet, porrectaq; poscit
Pabula: nec tenero lupus insidiatur ouili.
Scilicet hæc sacri cecinerunt sæcula vates,
Hæc tibi *Rex pacis* dedit exornata triumphis
Regna novis. bellis alij, tu pace triumpha.
O sola infando concurrere *Virgo* tyranno
Ausa animis, vltroq; in prælia poscere sacro
Marte lacessendum, qui voce lacessit olympum?
O sola imperio summi famulata Tonantis,
Christiadùm miserata cruces, miserata labores
Non fandos; dominiq; tui miserata dolores,
Suscipis ingentem felix nutricula Christum.
Ille, quasi fuerat Iudæo crimine passus
Non satis, ecce iterum desertus, nudus, inopsq;
Sedibus expulsus, ferro flammisq; petitus,
Heu nimis ingrato peregrinus oberrat in orbe.
Nympha tuis, (toto depulsus ab orbe) receptus
Hospitijs, ingens populis comitantibus exul.
Quam iuvat ad regni communia commoda ferre
Quas tibi regnandi *regum Rex* tradidit artes;
Pectore sollicito, quanto stant numine sceptra,
Quærere; sincerum populi rapuisse fauorem;

Impe-

Imperio tenuiſſe modum, regniq; ſaluti
Invigilare tui; tùm, quo felicia ſurgunt
Sceptra modo, magni monitis parere Tonantis:
Nec piget eſſe piam. magno ſub iudice tantæ
Mercedem pietatis habes. En horrida bellis
Sæcula concuſſum rapiunt ardentibus orbem,
In furias, & in arma ruunt. Vltricia paſſim
Fata ſuo domitas voluunt in ſanguine gentes.
Una, mali ſecura, manes: regumq; ruinas
Inconcuſſa vides. medios, tranquilla, furores
Inter, & armorum veſana incendia, nullo
Eliſabetha regis nutantia turbine ſceptra.
Sola ſedes intacta malis, quia celſa potenti
Subijcias tùa ſceptra Deo. Sic otia læta,
Et rediviva tuo ſurgit gens aurea regno.
Eſt tamen, eſt ſacram qui conturbare quietem
Regni (Nympha) tui, populoq; avertere pacem
Molitur. Quis tantum animis tentare nefanda
Conſilia? infernâ Stygij genitoris ab aulâ
Quis ferat in lucem tenebrarum edicta referre
Triſtia? ſanguineaſq; agitare atrociùs artes?
Sacroſancta quibus regnorum fœdera rumpat,
Et conturbatis bellorum incendia rebus
Miſceat, & ſceptris dominos proturbet avitis?
Eſt quæ Romanis horrendum ſibilat antris
Bellua, non illiâ polluti ſpiritus oris
Tartareâ quiſquam de ſede nocentior exit;
Quam Babyloniaci velant myſteria ſcorti.
Celſa ſedet meretrix ſubiecto vecta dracone,
Cui ſeptemgemino ſurgunt de vertice criſtæ,
Septem orbes verſat, ſeptena volumina torquet.
Ebria purpureo Sanctorum in ſanguine lapſat,
Nec rabies expleta malis, magis effera latrat
Ingluvies, nullis hominum ſatianda ruinis;
Ebria delicijs regum, quibus illa venenis
Pocula plena ſuis exhauſtâ fœce propinat.
Sed faciem mentita viri mirabile fallit;
Mobilis ancipiti ludit ſub imagine forma,

Agnum fronte ferens, horrendâ voce draconem.
Stat generis pudor humani, creſcitq; ſubactis
Principibus populiſq; tremor: domitoq; minatur
Terribilem mundo, monſtrum fatale, ruinam.
Bellua deluſum heu quantum bacchata per orbem,
Exitijs regum, regnorum aſſueta rapinis!
Ecquis (io) regum qui contrà audentior ire?
Ecquis, io, tantos animos, ac robora dextræ
Pugnacis tentare ferox? Trahit vna venenis
Tartareis domitos meretrix Babylonia reges?
Totq; ſimul proceres inter ſua pocula merſos,
Captivoſq; duces, regum & ſervilia ſceptra
Vna rapit Circe? tanton' damnata veterno
Sæcula degeneres animos, & inertia regum
Corda dabant? veteris virtus oblita decoris
Torpuit, occultis velut incantata venenis.
Eluitur tandem miſeris infamia ſæclis.
Egregia auſuros terris dedit Anglia reges:
Anglia magnanimûm genetrix fœcunda virorum.
Hæc te *Nympha potens* hæredem gloria tangit.
Nam tuus, eluſi vindex fortiſſimus orbis,
Graſſantis rabiem monſtri, furiamq; vagantem
Armipotens genitor primo compreſſerat auſu.
Inde venenati ſoboles Lernæa draconis,
Fatalem perculſa domum, fatalia ſceptra
Exhorret, velut in Babylonis nata ruinam.
Perpetuis igitur ſtimulis agitata furoris
Innumeras ſcelerum facies Acheronte petitas
Intentat, verſatq; nefandæ conſcia fraudis
Pectora, deſormes ſceptris meditata ruinas.
Sed fraudum conſulta ruunt; dominoq; minantur
(In proprium ruitura caput) converſa ruinam.
Obruit artificem ſceleris ſcelus. Ergo vbi tantas
Iam venti rapuere minas, vbi languida feſſus
Viribus abſumptis iactaret ſulmina papa:
(Nam dixere ſuo mortales nomine Papam
Quem ſacris velat Babylonis adultera chartis.)
Ille vbi tot ſcelerum ſenſit fine numine cœpta

Ingenio ruitura ſuo; ſua vulnera ſpectans
Indignantem animam furibundo in pectore verſat.
Conſilium q; vocat, divûm pudor, atq; hominum fęx.
Carnales glomerant circum ſubſellia fratres.
Ille dolos recoquens ſolitos, regumq; ruinas
Obvoluens animis, tumido ſic pectore fatur.
Quo collapſa locorum ſit Romana, videtis,
Romulidæ iuvenes, genuini matris alumni.
Occiduum Romana fides credenda per orbem,
Regibus ac populis fuit vnica regula recti.
Et quæ credendi, regnandi ea forma reperta eſt.
Vna, quibus placuit, terras dat Roma regendas,
Nec quenquam fas eſt veneranda capeſſere ſceptra
Quem non celſa ſibi famulantem Roma probarit.
Roma fidem populis, & ſceptra regentibus offert.
In terris numen gentes didicere ſupremum
Romanum dominum, Romanam agnoſcere matrem.
En tamen Hæretici quantum valuere furores!
Anglia Romanas audax contemnere leges
Pontificum tumidas ridet ſecurior iras,
Excuſſitq; iugum Romæ. proh fata! quid hoc eſt
Quod ſuperi voluere nefas? miſeranda videbit
Roma triumphatos Anglâ ſub virgine Papas?
Quem gentes timuere feræ: qui ſumma ſolebam
Arbitrio rapuiſſe meo, vel ponere ſceptra.
Cuius ab imperio quondam conterritus orbis
Intremuit: vix nunc imbellis virginis iras
Suſtineo. Iam cuncta meis cedentia votis
Sperabam: ſed fata retrò converſa tulere,
Auſaq; noſtra leves rapuerunt irrita venti.
Dij, quibus auſpicibus Romana potentia ſurgit;
Tuq; adeò qui tergemino diademate cinctam
Non tibi, ſed Romæ meruiſti Petre coronam:
Et voſ ô ſanctæ, (meriti ſatis indiga veſtri
Quas colit innumerâ ſub imagine Roma) ſorores:
Teſtor ad ornandas ſacris inſignibus aras
Divorum quos Roma colit, ne laudis honores
Corruerent veſtræ, veſtras ne rarus ad aras

Accedat cultor: noſtras diſcrimina nulla
Impedijſſe manus; Romanis artibus Anglæ
Principis exitium, populi tentaſſe ruinam.
Nec veriti regum ſtabilita reſoluere iura,
Reginam imperio excuſſam, gentemq; domandam
Hiſpano dedimus domino: * Didaciq;, novelli
Numinis, auſpicijs rapiendos vovimus Anglos.
Excitos & in arma duces, populumq; rebellem
Traximus in furias media inter viſcera regni.
Nobile par, quondam Borealis gloria tractus
Alter in exilium, ac ludibriâ raptus Iberum
Alter in exitium præceps; tam perdita fata
Ingenio ſubiere meo. Reparanda ruina eſt
Tranſfugijs tentanda fides. ſanctiſſima mater
Roma ſaginandos alit in certiſſima ſervos
Funera, qui tentent Anglorum pectora furtim.
Sed quibus occultis eſt ſeditionibus Anglos
Sollicitare labor; famulos iam Roma probatos
Agnoſcit, quamvis miſerandâ in morte relictos,
Oppreſſoſq; omnes rapuerunt invida fata.
Et rapiant. Satis eſt famulos ſi Roma fideles
Laudet, & hæc habeant miſeræ ſolatia mortis.
Quis pudor eſt Anglis mactandos enſibus Anglos
In ſe præcipites per mutua fata ruentes
Tradere, dum Romam non hæc diſcrimina tangant?
Si ſcelus eſt, Angli ſceleris dant ſanguine pœnas.
Heu quibus obruimur fatis? nullis cadet Angla
Obruta Virgo dolis. pudet, & conamine nullo
Eſſe nocens potui. ſedet imperterrita virgo
Omnibus indeiecta malis; & celſior omni
Invidiâ, maiorem animum, maioraq; verſans
Pectora, ſub noſtras ſurgit fælicior iras.
Quid iuvat Hiſpanas toties cumulare ruinas!
Impulimus miſeras adverſa in prælia gentes;
Traximus armatos populos: & in vnius omnem
Virginis exitium victum ſtimulavimus orbem.
Seditio, dolus, ira, minæ, fraus, arma, furorq;
Omnia iam tentata ruunt. Adamantina fata

* Sixtus 5. Didacũ canonizavit cuius meritis Hiſpani Angliam invadentes confiderẽt. Gala: Canoniz. S. Didaci par. 3. cap. 5.

Cir-

Circundant noſtris maiorem viribus Anglam.
Heu pudet,& domitus teneræ ſub virginis armis
Dicor,& innocuum videor manſueſcere numen.
At non ſic quondam virtus mea viluit orbi,
Quum mea tum primum tentans ſua robora dextra
Abſtulit imperij titulis & iure Leonem.
Ille quidem ſacras auſus divellere templis
Divorum ſtatuas,magnis documenta daturus
Principibus; diſcant moniti non temnere diuos.
Quid memorem ſummo deiectos vertice rerum
Henricum? quid Maimphredum,Fredericon,Othonem?
Imperio quos;Papa ſuo pro numine pulſos
Impulit,& toto dederat ſpectacula mundo.
Chilpricum ſceptris excuſſum Gallia vidit:
Vidit,& ingemuit; ſubitoq; exterrita caſu
Extimuit ſimili rueret ne fraude Philippus.
Aragonum tibi Petre;Georgi ſceptra Boëmæ
Pontificum ſunt rapta manu. Sic arbiter orbis
Mutatos rerum dominos dare Papa ſolebam.
Quumq; meis domitum rapiam ſub viribus orbem,
Sceptra revulſa feram,diſrumpam fœdera pacis,
Quum poſſem miſcere polo freta,tartara terris,
Nil mortale manuſtet inexpugnabile noſtrâ:
Hei mihi quòd noſtris non excindenda ſub armis
Angla manet victrix. Noſtros putat vna furores
Innocuos, vni deſpecta potentia noſtra eſt.
Quodq; magis doleat;meretrix Babylonia dicar
Virgineâ cecidiſſe manu; ſic fabula fiem.
Omnia ſunt tentanda priùs; licet omnia retrò
Lapſa cadant,longiq; ruant impenſa laboris.
Si ſuperos in vota nefas ſperare ſecundos,
Quod reſtat, Stygijs tentabitur artibus Angla.
Hæc fatus Stygios horrendo carmine manes
Sollicitat demens,cæciſq; furoribus ardens
Devovet exitio populos,& devovet agros;
Et magico triſtes revocat ſub murmure diras.
At tibi, Nympha, magis per tot fælicia diras
Cuncta fluunt,ceduntq; deo crudelia vota.

Vt Balaamiticas diras, inversaq; vota,
Grata deo quondam soboles Iudæa ferebat:
Sic tua qui magno propugnat numine sceptra
In caput artificis deus impia vota retorquet.
Est deu; & nutu reges, ac regna gubernat.
Ille tibi populos domat, ordinat ille triumphos
Regia nympha, tuos, bellorumq; arbiter ingens
Obruit innumeris domitos tibi cladibus hostes:
Ille jubet, præstent vni tibi regna tenenti
Tranquillam bellis ardentia sæcula pacem.
Ille (viden' quo laus se regia cardine vertit?)
Virgo, tuis meritis ornatum sustinet orbem.
Regna quot horrisono iam corruitura tumultu
Stant armis innixa tuis? In Scotica regna
Quum ruerent Galli, Guisio stimulante, furores,
Reddita libertas populis; lux aurea regno,
Regibus antiquus redijt te vindice splendor.
Quum iam barbarico super omnia regna tumultu
Hispani insultent, papa stimulante, furores:
Vulneribusq; suis, nimio & confecta dolore
Belgia fortunis metuisset, Gallia sceptris:
Vulneribus medicata suis, lenita dolores,
Belgia fortunas debet tibi, Gallia sceptra.
Plurima Christiadûm per viscera Turcicus ensis
Tristior ire parat: tanti tu sola furores
Expugnare ducis: manibus tu sola cruentos
Extorquere potes gladios: nutuq; retenta est
Barbara dextra tuo; tum libera turba tulisse
Fortunas vitamq; tuo de munere gaudet.
Ebria Romano dum gens Hispana veneno
Impia & in cœlos atq; in tua sceptra movere
Arma parat; mox infælicibus omnia fatis
Corruitura videt, confusaq; sanguine sceptra.
Illa suo fidat gladio: tu numine vincis.
At tu dum populos, tua sacra, ac regna tueris,
Arma, volente deo, victrix victricia tractas.
Straverat innumeris tua Celtiber æquora velis,
Ille tibi, populisq; tuis horrenda minatus,

(Scilicet) extorquere manu tua ſceptra potenti,
Aris, atq; focis Anglas extrudere gentes,
Cuncta armis miſcere ſuis: In ſanguine matrum
Commaculare nurus; natorum in cæde natantes
Accumulare patres; confundere ſacra profanis:
Angliadûm nomen ſcelerato exſcindere ferro.
Quaſq; ſolet iactare minas armata libido.
In fumos abiere minæ, quia iuſta tuetur
Arma deus; ſacrumq; caput, ſceptrumq; verendum
Agminis ætherei ſuperis defenditur armis.
Illa igitur moles Hiſpanæ incondita claſſis,
Quæ mare, quæ terras, quæ ſidera terruit auſu,
Ridiculæ tandem tenuiſſima fragmina turbæ,
Relliquias laceras proprijs vix intulit oris.
Pars armis oppreſſa tuis: pars hauſta frementis
Fluctibus Oceani: rapidis pars perdita flammis.
Terrificis alij circum tua littora rapti
Turbinibus, magnæ redeunt ludibria famæ.
Viribus æquoreis in prælia, viribus aucta
Aetheris, ô ſummo princeps dilecta Tonanti,
En agit excubias miſſus tibi miles ab alto,
Et tua vallatis cingit tentoria caſtris.
Diſcite qui regitis populos, quibus Orbis habenæ
Sorte ſua cedunt, quos celſo ab vertice rerum
Ancipiti ſtatuit ſublimes gloria curru:
Diſcite de cælo moniti; pendentia cælo
In leges cogenda dei, diademata regum.
Sic regit Eliſabetha, ſuis ſic iura Britannis
Diuidit, inviolata ſubit ſic iura Tonantis.
Quamne magis ſaluam populus velit Anglicus, anne
Illa magis populi cupiat, regniq; ſalutem,
Semper in ambiguo ſtudium mirabile ſervat.
Impune ergo licet ſolidæ tibi carpere fructum
Laudis, & exemplum cunctis memorabile ſæclis
Eliſabetha manes. Inter tot ferrea ſæclâ
Antiquum ſoli tibi regna feruntur in aurum.
Celtiber en quantis domitus iam cladibus hoſtis
Exitio tua regna ſuo tentata fatetur?

En Tarteſſiaco merſas in puluere Gades:
Nuper & Hiſpani quæ propugnacula regni,
Nunc armis oppreſſa tuis, en fulmen in armis
Nympha tuis miſſum manibus: quo bella gerente
Preſſa tuis fatis, animis ducis omnia cedunt.
Ante tuas acies illum tua bella gerentem
Pone vel Arctoo, vel Phœbo pone ſub Indo:
Victor vbiq; tibi bello eſt rediturus ab omni
Auſpicijs Regina tuis *Devoraxius* enſis.
Terrarum commune decus, noua gloria ſæcli
Regia nympha tui, noſtro lux addita cœlo,
Salue ſanguineo pacis ſpes vnica ſæclo.
Salue ſancta parens patriæ, Saluete propago
Inclyta nobilium, gens ô veneranda virorum
Heroum genus omne: quibus vel in arma cruenta
Martia flagrantes animos ſtimulavit Enyo:
Vel qui pacatis magnarum pondera rerum
Conſilijs trahitis: fælices viuite longùm
Et quo ſe populi vertunt communia vota,
Principis in ſacram longùm vigilate ſalutem.

AD SERENISSIMVM PRINCIpem IACOBVM, magnum Britanniarum omnium & Galliarum Regem,

Carmen Panegyricum.

HOrrida ſanguineo crepitantia bella tumultu,
Armataſq; acies, alijs memoranda relinquo.
Pax mihi carmẽ erit; ſanctoq; ſub omine cœpti
Cum procerum ſtudio certantis plebis amores,
Relligio, ſincera fides, pax, gaudia, virtus
In commune bonum coeunt, & in oſcula currunt
Mutua; fœlices populos ſub principe tanto,
Fœlicem tanto populi moderamine regem,
Omnia conclamant. Hoc terra Britanna reuoluit,
Hoc celer Oceanus; refluo qui gurgite nuper
Invitus gentes diviſas pæne ſecabat;
Lætior at tandem muro coeuntia cingit
Regna ſuo, blandè arridens, lætoq; remugit
Murmure, ridentes reſponſant omnia cœli.
Dicite qui veteris faſtos evoluitis ævi;
Dicite, ſi longâ repetita ab origine rerum
Tale quid attulerint ſæclorum exempla priorum.
Dum fera per varias miſcentur prælia gentes,
Sanguinolenta minas Babylõn dum ſibilat ore
Vipereo; fremit & crudele domeſticus hoſtis:
Dum ſubitò irruit ille dies, Babylonica turba
Quem tanto ſtudio, tanto cupiere tumultu:
Dum mortes nobis, dum bella horrenda minantur:
Anglicus en ſine vi, ſtrepituve revoluitur orbis.
Aurea iam tandem, ſummo dilecte Tonanti
Rex Iacobe, tuis redierunt ſæcula regnis.
Recta fides pacem, populos, fœlicia firmat
Fœdera. Relligio proceres, & plebis amores,
Relligio tibi regna dedit. Deus omina firmat

Numi-

Numine tanta ſuo; qui in mutua vincula cogit
Teq; tuis, populoſq; tibi. Quæ præmia tantis
Digna animis? pietas iſthæc quot regna meretur?
Magna licet, tantis virtutibus omnia cedunt.
Suſcipe, naſcendi ſacra quas tibi iura dedere,
(O ſanguis regum noſtro antiquiſſimus orbe)
Suſcipe quas populiq; preces, procerumq; voluntas,
Quaſq; tibi moriens regni mandavit habenas
Eliſabetha parens, regni ſanctiſſima nutrix.
Altius in cupidis equidem Eliſabetha ſuorum
Pectoribus, princeps placidiſſima fixa ſedebat,
Hoc meruit pietas, hoc magnâ principe dignæ,
Virtutes meruere: graves meruere labores
In populi commune bonum: vigilantia ſumma,
Relligionis amor veræ, cultuſq; ſupremi
Numinis; Æternis manſura ea gloria faſtis.
Illa ſuos Anglos, vt ſol ſua fidera, luſtrans
Virtutiſq; ſuæ radijs, fideiq; calore
Eximio fovit. Tanto ſed ſole cadente
Altera lux oriens, toto tenet aurea cœlo
Perpetuum ſine nocte diem, ſine nube ſerenum.
Tu quoq; non minus in cupidis Iacobe tuorum
Pectoribus (princeps placidiſſime) fixe ſedebis.
Hoc dabit & pietas, & magno principe dignæ
Virtutes, curæq; graues, ſanctiq; labores
In populi commune bonum: vigilantia ſumma;
Relligionis amor: dabit inviolata ſacrarum,
Quas Deus è cœlo tulerat, cuſtodia legum.
Sumite, qui regitis populos, exempla regendi.
Diſcite de cœlo moniti, pendentia cœlo
In leges cogenda dei diademata regum.
Sic ſua regna diu divinâ rexerat arte
Eliſabetha parens. Soboles ſanctiſſima regum
Sic regit occiduo tot Regna Iacobus in orbe.
Non illi terror populi ſervilia iunxit
Pectora; non ferrum, aut bellorum incendia, gentem
Traxit in obſequium: ſed ſacri innoxia ſcepti
Maieſtas, & verus amor, & vera ſupremi

Nûminis vnanimes nectens veneratio mentes.
Hæc ſunt quæ iuſtis, adamante potentiùs omni,
Hæc ſunt quæ ferro, duroq; potentiùs ære,
Imperijs regum populorum corda coercent
Vincula; quùm placido certat cum principe vulgus
Officijs, dubijq; diu certaminis hæret
Alea; Rexnè magis populi, populusvè ſalutem
Percupiat tenerâ cum ſollicitudine Regis.
Aſpice magnanimûm exultantia pectora quantis
Nobilium ſtudijs ades in tua regna vocatus.
At tuus hic populus feſtis clamoribus omnes
Atq; vrbes, & pulſat agrôs: & læta triumphos
Plebs agit, optatâ celebrans tripudia pace.
Interea ſacri veneranda per agmina vates
Incedunt. illos adeò cœleſtis origo
Sublimes rapuit, finiſq; ab origine pendet.
Non hos commemoro ſæcli exitialibus vndis
Merſos, quêis vêter deus eſt, quêis gloria mammon:
Qui ſacris inferre parant commercia templis
Turpia: degeneres animas, & inertia corda
Queis malus abiecit ſtupor & veſana cupido:
Chriſti regna ſuis, tum qui tua regna profanis
Sordibus obſcurant, maculaſq; impunè refundunt.
Sed preſtans animis turba eſt (viliſſima mundo
Pectora, grata deo) quiq; in tua commoda proni
Invigilant, pro pace tua, pro pace tuorum
Aſſiduis penetrant impulſibus æthera ſummum.
Aſpicis, æthereo princeps gratiſſime regi,
Aſpicis in ſacris animis ſit quanta poteſtas!
Quid ſanctæ valuere preces? quid vota piorum
Ignea, cœleſtes huc elicientia vires,
Vim factura deo? vis hæc te in regna vocavit
E cœlo; Hiſpanas ſacer hic exercitus olim
Obruerat vires: ſacer hic exercitus aras
Communit rex magne tuas. pro curribus ergo
Pro parmis, gladijſq; potentior omnibus, ecce
Aethereis ſtabit tibi murus aheneus armis.
Impia gens contra ſtimulos inſurgere tentat,

Et coeunt ranæ impuræ, coiere locuſtæ;
Quas prius edoctas, atq; in ſcelus omne paratas,
Deuotaſq; animas terras immittit in omnes
Inſidiata tuis meretrix Babylonia regnis.
Quale genus monſtri, quam vis fæcunda malorum,
Non tamen Africa terra tulit, nec tabe maligna
Squallida peſtiferæ genetrix infeſtior hydræ;
Quale nec Aeæis monſtrum furiale ſub antris
Filia ſolis erat, lenti quæ fertur Vlyſſis
In pecudes, comites, magico mutaſſe veneno.
Omnia Romano concedant ſæcula monſtro.
Celſa ſedet meretrix ſubiecto vecta Dracone
Cui ſeptemgemino ſurgunt de vertice criſtæ,
Septem orbes verſat, ſeptena volumina torquet.
Ebria purpureo ſanctorum in ſanguine lapſat
Nec rabies expleta malis; magis effera latrat
Ingluvies, nullis hominum ſatianda ruinis.
Ebria delitijs regum, quibus illa venenis
Pocula plena ſuis exhauſta fæce propinat.
Sed faciem mentita viri mirabile fallit;
Mobilis ancipiti ludit ſub imagine forma,
Agnum fronte ferens, horrendâ voce draconem.
Hæc illa eſt ſeris mundi ventura ſub ævis
Bellua carminibus vatum cantata ſacrorum.
Bellua Romanum raptura prioribus orbis
Imperium dominis: pede calcatura ſuperbo
Reges, & quæ ſunt regum faſtigia ſumma.
O qui, *Rex regum*, mundi moderaris habenas,
Aſpicis hæc oculis etiam puriſſimus æquis;
Tandem rumpe moras omnes: ſponſæq; gementis
Tolle graves facilis curas, ſuſpiria leni.
Magnanimûm tangat verbi lux pectora regum,
Inq; ſui obſequium dominos contorqueat orbis.
Fœdi meretricis videant myſteria magnæ,
Et miranda tui videant myſteria regni.
Deq; iugo ſcorti regum ſervilia corda
Eripe, redde animos, animis & lumina redde
Romanæ Circes magico ſurrepta veneno.

Tollemalas penitus artes, extingue venena,
Et Circęi nouas da contra pocula vires,
Ac digno exitio Meretricem perde nefandam.
Tuq; adeo in ſtadio magnorum, magne, parentũ
Inſiſtens Iacobe, & prægreſſurus auitas
Virtutes, exempla dabis; clauſaſq; tenebris
Pande vias. Alij reges tua facta ſequentur.
Interea tenebris merſas circumſpice ranas,
Quas nunc poſtremas Babylon ruitura cateruas
Emittit, ſanctum iactantes nomen Iẽſu:
Vltima Romani tandem Iouis agmina terras
Infeſtant, fruſtra vulnus ſanare cadentis
Imperij magnum, & latas reparare ruinas.
Illa quidem magnorum adeunt penetralia regum
Illa (quid eueniet niſi quod diuina futurum
Pagina prædixit) reges in bella vocabunt.
Et ſtatuent regnis Chriſti contraria regna,
Arma armis; animiſq; feris infanda mouebunt,
Subſidio regum ſanctam expugnare Sionem.
Quos contra fumos, contra fera fulmina Papæ,
Romanas contra fraudes, & facta tyranni
Infanda, & contra tenebrarum regna profundæ
Te deus (ô feſtam lucem, ô ſpectacula læta
Sinceris animis) Deus, en deus ille, Iacobe,
Quem tua mens tantùm teneris ardebat ab annis;
Cui ſeruire magis placuit, quam regna tenere,
Ille deus, cuius flectuntur cuncta potenti
Conſilio, & nutu terras, mare, tartara torquet:
Ille deus, qui regna ſuo, qui regibus orbem
Dividit arbitrio, quiq; imperat vnus vbiq;:
Ille deus ſacro feſtâ te pace reponit
Anglorum ſolio: ſacro diademate cingit.
Ille deus teneram tibi, Rex, ſua viſcera ſponſam
Commendat, rogat &, contra Babylonica monſtra
Fortior ire velis. domino gratiſſima vota
Retribuas. deus ille dedit, iubet ille rependas.
Eſt, quæ de cœlo rediens puriſſima virgo
Errores miſerata hominum, miſerata labores,

Læta

Læta ferens, miseras terras in uisere gaudet:
(Nam sua nobiscum dominus tentoria fixit)
Quam sacri vates sanctam dixere Sionem.
Cuius in arce sedet sacratâ celsior Agnus:
Cui tanquàm primâ mactato ab origine mundi
Aeternùm sanans manat per vulnera sanguis:
Ille regit nutu reges ac regna per orbem.
Quem tamẽ (heu curuas animas, heu pectora cæca)
Indomitâ reges terræ ceruice lacessunt.
Et contra stimulos, & contra fulmina dextræ
Cælestis, dominantem exercitus improbus Agnum
Provocat. Ille, velut fragili quæ vascula cœno
Disperdit figulus, sceleratos obruit ira:
Et super incutiens miseris sua ferrea sceptra
Conijcit, & grandi sub verbere dissipat hostes.
Invenies miseros populos, & perdita regna
Infaustos reges, quicunq; feruntur in Agnum
Armati cœco studio vanoq; furore.
Hoc facinus victos gentes: hoc obruta regna:
Hoc dedit eversos populos. sub iudice magno
In propriam ruit impietas sublata ruinam.
At vero æternùm regnans quibus imperat Agnus,
Fælices nimium reges, fælicia regna,
Aurea per totum iactant sua nomina mundum.
Quos inter rutulat, velut inter sidera Phœbus,
Ingenio Solomon, vera pietate Iosia
Noster: & hanc vnus de tot modò regibus Orbis
Præripuit palmam: solio sublimior omnes
Fortunas regum miseras, populiq; furores
Bellaq;, vt æquoreas sicco de littore clades,
Prospectat, regnis summâ iam pace repostus.
Hic pietatis honos. deus hæc tibi fœdera pacis
Confirmat. deus ille dedit, iubet ille rependas.
En studia, en populi certamina magna Britanni,
Te sibi poscentis votis ardentibus vnum.
Anglica gens pro te ruitura per arma per ignes;
Martia te talem per mille pericula regem
Gens petitura, tuam propugnatura salutem

Sanguine ſupremo. Nec in hoc diſcrimine cedunt
Scotigenis Angli. populi per mutua regi
Vincula creſcit honos, populo quum gaudia creſcunt.
Si libet Arctoo ſub cardine bella mouere;
Mitte tuos Anglos: vel ſi libet axe ſub Indo.
In tanti regis gens Angla armata triumphos
Excubat; auxilio, duce te, confiſa tonantis.
Te duce Saxonicis nihil inſuperabile dextris
Spondet: & inuictas acuens ad prælia vires
Expectat, Domini quum prælia iuſta mouebis.
Atq; equidem Romæ ſonitus audire cadentis
Iamdudum videor: voceſq; ac murmura turbæ
Attonitæ: Cecidit Babylon; cecidere ſuperbi
Qui ſeptem cœlo iactabant culmina colles.
Nec locus in ſacro eſt impuris mercibus vllus,
Nec locus argento reſtat gemmiſue, nec auro;
Nec locus eſt Thyinis. ebur, æs, thus purpura, coccus,
Delitiæ ſcorti, Roma pereunte peribunt
Omnia, quiq; per horrendas in imagine mutâ
Spem poſuere ſuam tenebras, ludibria tanta
Agnoſcent vltrò, & fugient patefacta peroſi.
Impiaq; impuræ ſordent commercia Romæ.
Nec locus eſt vel fraude * pia, vel fraude maligna
Venandis populis; animarum nundina ſacris
Exturbata ſilent. Nec lux ſinit aurea vafro
Emungenda dolo miſeræ marſupia plebis.
Impia gens igitur longis erroribus acta
Illecebris varijs, fœdæ & meretricis amore
Perdita, tam ſubitam procul aſpectare ruinam
Horret, & exululans grauè luctiſono ſingultu
Ingeminat: Cecidit Babylon. hæc murmura valles
Accipiunt, iterùm repetunt hæc murmura montes.
Interea tollit lætas ad ſidera palmas
Dedita turba Deo, ſinceris dedita ſacris,
Exultanſq; ; ô longæuos inuictus in annos,
Pacificus, ſanctus, fœlix, fauſtuſq; , piuſq;
Viuat Iacobus: Babylon ruat impia: clamat.
At tu magnanimûm proles pulcherrima regum

* Pontificij quidam docent indulgentias eſſe piam fraudem qua plebs efficiolo errore trahatur ad pietatem Weſſ. Gruning.

Pervi-

Pervigiles curas inter tot gaudia torques.
Fortunæq; animis vltrò moderamina tantæ
Injcis ipſe tuis. Atq; ardua munia poſcit
Regius ille animus, veris virtutibus ire
Ante alios omnes, queis tanto præſtat honore;
Nec regnare magis, quàm regnis dignior eſſe.
Vim prohibere tuis, iniuſtas frangere vires:
Pauperis, & viduæ preſſam defendere cauſam.
Proſpicere vt totis præceps iniuria regnis
Pulſetur: pereatq; nefas; pereantq; rapinæ.
Oppreſſiſq; dolis, ac libertate nocendi
Aurea iuſticiæ componat regula lites.
Nec minus intereà doctos mulcere labores;
Afflictaſq; ſolo venerandas tollere muſas.
Creſcite virtutes, doctæq; reſurgite muſæ.
Ingenijs aperitur honos. ætate nec vlla
Emicuit campo maiore exercita virtus.
Vt levat ad nutus toto ſe corpore ferrum
Magnetis, ſequiturq; ſuos conſtanter amores:
Sic lectas muſas tecum, lectiſſime princeps
Rex Iacobe trahis. Quò te communia regni
Vota, preceſq;, tui rapiunt, duce numine magno,
I fœlix: Vires nimium indignata minores,
Digna tuis humeris rerum molimina verſa,
Quæ præſens amat, & veniens mirabitur ætas.

IN DEVORAXEIDA

Præfatio ad Candidum Lectorem.

PRodierat noſtro liber ad ludibria ſæclo,
Putidior Voluſi vanis annalibus, olim
Quos lex ad ſordes abiecit iuſta Catulli,
Mercurij quem neſcio quis de nomine Galli
Iampridem, at nuper furioſi nomine mundi,
Omnibus elleboris dignus, furioſior ipſe
Baro cucullatus Friſo-belgicus indigitavit.
Non illum cultis Friſiæ de gentibus ortum
Sed Scythicis natum noſtro procul orbe remotis
Montibus, aut Indâ miſſum de gente putares:
Nec noſtræ culturæ hominẽ. Sic ſcripta rigeſcũt
Ignavi torpore ſtili: ſic verba ſupinus
Eructat: noſtro ſic hæſitat hoſpes in orbe:
Sic ſapit, ac loquitur bimulis de more puellis.
Atqui pollicitus, magnoiactator hiatu,
Res geſtas, regum fortunas, bella per orbem,
Quanto ridendas verſat molimine rugas?
Conductas verſans operas, ad penſa retortum
Ingenium ſervile trahens, animamq; malignam,
Putida venalem rotat in mendacia linguam.
Nos verò invidiâ & fingendi crimine preſſam
Hiſtoria partem debimus. Quod ſcripta ſoluta
Lege premunt, ſtabit tam carmine vindice verũ.

DE

DEVORAXEIDOS

Liber vnus.

FAma per Hiſpanas ibat iactantior vrbes,
Terribilem fatis tandem ceſſiſſe Draconem.
Quæ te, magne Draco, nobis vehementior ira
Numinis abripuit? quis tantum caſus honorem
Angliadûm invidit genti? Nam te neq; magni
Inſidiæ latuere maris, nec littoris error:
Nam neq; te terris orientia fallere ſigna
Incerti potuere poli. Te ſolis ad ortum
Solis ab occaſu per inhoſpita regna tuentem,
Mirifico ſolitum terras atq; æquora curſu
Oceaniq; vagas circumraptarier vndas,
Audentemq; poli rapidos imitarier orbes
Obſtupefacta novum comitantur ſidera Phœbum:
Alter erat tum Typhis, & altera quæ tulit Argo
Delectos Heroas; & altera Phaſide magna
Aurea cerulea remeabant vellera ponto.
Te nunc Oceanus, vaſtum qui amplectitur orbem,
Delitias habet ille ſuas. Tibi panditur antrum
Pumice de vivo: nymphæ tibi buſta ſuprema
Oceani, lætæ miſto mærore laborant.
Exequias ducunt Nereides admirantes.
Spargite purpureos placata per æquora flores:
Et violas plenis, & fundite lilia palmis.
His ſaltem æquoreas donis placabimus vndas.
His ſaltem exequijs tenuem cumulabimus vmbram.
Vt primùm Hiſpanas hæc fama allabitur oras,
Continuò exultant animis, genialia feſta
Inſtituunt, magniſq; invitant gaudia ludis.
Sacra ſacerdotes ſolito cum murmure fundunt
Omnia ſanctorum per pulvinaria carmen.
Franciſcum, Didacumq; vocant, patriumq; Iacobum,
Et queis præterea pretio cœleſtibus eſſe
Subdola Roma dedit, mentitaq; nomina cœlo
Impoſuit, Divis proprij diduntur honores
Certatim, patrioſq; lares, genioſq; locorum

Sollicitant, vacuis onerantes æthera votis.
Dumq; ita ſolennes agitant de more triumphos
Angliadúm fractos animos, omnemq; Britannis
Spem cecidiſſe crepant. Inuictæ robora gentis
Turgidiùs iactant vno collapſa Dracone.
At non Saxonidúm fracto ſpes languet in vno
Credite, maiores alit Anglica terra, Dracone.
Creſcit, & antiqui ſurgit nova gloria ſæcli
Oſtroſaxonides: noſtroq; illuſtrior orbi
Maiorum virtus collecta relucet in vno.
Magnanimoſq; duces, procerũ q; exempla priorum
Vnus reſtituit nobis Mavortius heros.
Salve grande tuæ decus & ſpes inclyta gentis.
Vltrò arm's, animis Draco tibi cedit, in vno
Sentiet innumeros ætas ventura Dracones:
Celſior ò cunctis, vniq; æquande ſub armis
Scipiadæ paribus: patriæ, vi Martis vterq;
Diuinam tribuiſtis opem: fera gentis vterq;
Conſilia auſpicijs paribus fregiſtis Iberæ.
Scipiadæ labor eſt lapſæ ſuccurrere Romæ:
At tua fatali virtus Mavortia dextrâ
Effecit ne preſſa gravi gemat Anglia bello.
Perficias opus inceptum, depelle furores
Gentis Iberiacæ; florentis & exere dextræ
Virtutem; medijs Anglo dabit otia bellis
(Auſpicijs, Regina, tuis) Devoraxius enſis.
Arduus eximijs Anglorum murus in armis
Propugnat patrias, idemq; expugnat Iberas
Hectoreis animis & viribus Herculis, vrbes.
Atq; per Occidũi maiora pericula ponti
Maiores acies maior iam ducit Iãſon.
Defuit vna tamen maioris buccina famæ
Atq; aberat facti monimentum inſignius; vno
Vincimur, heu, noſtris Minyis quia defuit Orpheus.
Qui cantu molliret aquas, ſævumq; furentis
Oceani tumidos placaret carmine fluctus.
Tum qui victrices claſſes, quiq; arma viroſq;
Traderet æternæ manſuro carmine famæ.

Geſta

Geſta quid Herôum, quid fortia facta valerent,
Inter & armatos vita exſudata labores,
Et ſummis præſtans bellis exercita virtus?
Ni ſit qui famam factis æquare canendo,
Et vitam valeat perituris addere rebus
Aeternam. Minyis ea gloria carmine ſurgit
Thrēicio: vitamq; trahunt à vate triumphi.
Tu quoq; magne Comes, tua ſummis acta periclis,
Acta triumphales inter tua vita coronas,
Atq; omni tua iam virtus iactanda ſub axe,
Mæoniam meruere lyram; Tua geſta ſub armis
Martia, maiores rapiunt in carmina muſas,
Si tamen interea plectro pulſanda minori
Carmina cœpta placent: breviterq; audire Britanno
Si Tarteſſiacos libeat ſub Marte labores,
Incipiam. Velis ſub nobilioribus acta
Oceanūm ſubit Angla phalanx, quà maximus Atlas
Occidui immenſum pelagi diffuſus in æquor,
Ac miratus aquas anguſta fauce coactas,
Tandem aperit terras, atq; indignantior intrat.
Eximiam huc claſſem Minyæ flexere Britanni;
Præſtantes omnes animis, præſtantibus armis,
Aſt ingens animi duxibat in agmine primus
Mandeavilliadūm de ſanguine ſanctior heros
Oſtroſaxonides. ſub tanto animoſa magiſtro
Militiam, martiſq; gráves tolerare labores
Nobilitas etiam teneris aſſueſcat ab annis.
Arripiunt iter æquoreum. Sub pondere preſſus
Nobiliore, minas iam ponit mitior Atlas.
Sublatis velis, animiſq; illi aurea præter
Ora Tagi claſſem rapiunt, & littora ſacra
Vincenti genio quæ ſacravere minores.
Expectant fuſi latè per littus Iberi,
In quibus irruitura locis, quo vulnere gentem
Angla phalanx feriat pavitantem. ſicut in atris
Agricolæ ſpectant pendentem nubibus imbrem,
Solliciti qua parte cadat, quibus irruat aruis,
Ille diu dubio ſtat pendulus æthere terror,

Comes Eſſexiæ ſiue Oſtroſaxonum i. orientalium Saxonum: qui ſic dicti ſunt, vt orientales Gothi (Oſtrogothi.)

Ac tandem ingenti ſonitu diverberat agros,
Atq; agit horrendas maturâ in meſſe ruinas,
Incumbitq; malis, & ſpes populatur agreſtes.
Celſior interea radiantibus ardet in armis,
Sidereo ſplendet velut aureus agmine Phœbus,
Oſtroſaxonides. lectos ſic inter Iaſon
Heroas, Troiæq; ingens populator Achilles
Sic animos in bella tulit, ſic ibat in armis.
Ac velut inſanos vtero ſuadente furores
Quum ſtimulat vacuum rabies animoſa Leonem,
Ille ferox clauſos intra ſua mœnia tauros
Terribili fremitu circundat inertia corda,
Viq; vias aperit, quà ſtrage cruentior iras
Expleat, inſigni rabiem domiturus in hoſte:
Haud ſecus ingentes ſtimulos ſub pectore verſat
Oſtroſaxonides; Cui magnæ pectora curæ
Exacuunt, captiq; ſedent ſub corde Caletes.
Ergo omnes animis aditus perluſtrat Iberi
Littoris, explorans quà primùm erumpat arena,
Quo præſtet primùm famam affectare duello
Inſignem, & poſitis virtutem effundere caſtris.
Inſula ad Oceani limen, notiſſima fama,
Summoti penitùs iacet extra littoris oras,
Nota priùs Graijs * Cotinuſæ nomine; Roma
Tarteſſon, Gades Tyrij dixere coloni.
Relligione patrum multos vbi ſacra per annos
Stabant marmoreis ingentia templa columnis,
Amphytrioniadæ magnum iactantia numen.
Ille peterratis poſtquam omnibus aurea terris
Sæcula reſtituit, ſcelerumq; acerrimus vltor
Immanes mundi maculas, dominoſq; ſuperbos
Suſtulerat, tandem Gades penetraſſe remotas
Dicitur; hic magno metam poſuiſſe labori.
Ergo his Herculeum cultum ac delubra minores
Inſtituere locis. Pendent in limine templi
Exuviæ ingentes horrenda rapina Cleones.
Interiora tenent illuſtria facta nepotum
Artificum ſtudijs auro ducta atq; elephanto:

* Plin. nat. Hiſt lib. 4. c. 22.

Strabo lib. 3.

Scat

[a] Stat ferus, & tactis vouet ante altaria sacris
Ingentes tibi Roma minas, crudelia bella
Hostilesq; etiam spirat puer Hannibal iras.
Sponte sua incumbens in vota cruenta parentis.
Parte aliâ eximiâ surgit sub imagine [d] Cæsar
Acrior, & solido Himinantior ardet in auro.
Ac dum marmoreis obtutu, animoq; tabellis
Hæret, Alexandri lachrymas in imagine fundit.
Tum prece nescio quid tacitum meditatus, in aurem
Murmurat Alcidæ, quasi consilia alta domandi
Orbis ab hoc vno velit explorare magistro.
Suprà Romulidæ proceres habuere senatum,
Et tacita templum cum maiestate tenebant.
Quo numero templis succrescere visa deorum
Turba; sedent omnes, soliti de more vetusto
His petere è templis magnarum exordia rerum.
Paulùm subducto (propiùs penetrale recessu)
Erigitur facies rerum metuenda sacello.
Hac sese Herculei iactant in parte labores,
Et superimposito moles miranda colosso
Herculeos habitus tulerat. diuinior oris
Splendor, & heroos æquantia membra lacertos
Mortales etiam tum dedignantur honores.
At vero Tyrij longinqua per æquora vecti
Ante aras stabant, & [e] Balbus conditor vrbis;
Conspicuus Balbus: Tyrij sed in agmine pressi
Affectant altè capitum ostentare corollas.
Thure onerant aram, & qui numine præsidet aræ
Amphytrionidem multo venerantur honore,
Et votis pacemq; petunt, æternaq; poscunt
Vrbis vt Alcides, invictaq; mœnia præstet.
Fata repugnabant: & fati conscia, multâ
Arte sub Herculeo pendentia saxa Colosso.
Namq; sub interni gemmatâ mole sacelli
Stat vetus & numerat longæua in marmore sæcla
Arcanum templi, dictu mirabile, carmen.
Herculis hæc Græci domito fixa Orbe trophæa,
Quondam victa cadent sub viribus Herculis Angli.

[a]. Liv. dec. 3. lib. 1.

[d] Plut in vit. C. Cæsaris.

[e] Strab. 13.

Iamq; hac se classis statione tenebat Ibera
Multa movens animis · cœptumne sequatur ad Indos,
Anne abrumpat iter satius? via septa periclis
Vndiq;; & ingenti clausi trepidare tumultu,
Et formidandas Anglorum horrescere vires.
Non secus ac spatijs lepus interceptus iniquis
Latrantum rabiem fugiens: trepidante superbum
Aure bibit sonitum, fremituq; inclusus acerbo
Æstuat, exanimis rabidæ formidine turbæ,
Certior interea turmas dispersa per Anglas
Fama ferebatur, portu huc convecta fuisse
Mutandas auro quod condidit India merces,
Classes, arma, viros, thesauros: vndiq; lecta
Et Gaditano congesta stetisse recessu.
Ergo alacres animis Cotinusæ ad littora classem
Saxonidæ ventis in vota ruentibus vrgent.
Et Tartessiacâ tandem sistuntur arena.
Insignes mihi musa viros, & prælia pande:
Et quantis classem atq; vrbem domuere sub armis.
Acer init pugnas, animisq; insignis & armis,
Et nexas acies abrumpere Rallius ardet.
Insequitur magno laudum perculsus amore
Verus in arma ruens, vera virtute vocatus,
Nobilitasq; faces accendit, & excitat vltrò.
Propugnaturæ stabant in fronte triremes,
Dumq; huc eximijs medium sese intulit armis
Verus, & horrendos duro sub marte labores
Excipiens, reddensq;, suo se robore firmat:
Confertos crebro sub turbine pulsat Iberos.
Sed pugnæ studio flagrantior vnus in omnes
Dum ruit egregio: numeroso cingitur hoste.
Hæc simul vt vidit, *Devoraxius* advolat heros,
Dum cupit heroas Vero coniungere vires,
In se conversam vim sollicitabat Iberam.
Flammiferas accensa pilas iam machina torquet,
Et grande insonuit ruptus clamoribus æther,
Inq; vicem accipiunt, reddunt q, tonitrua crebra.
Disrupto veluti quum sæva tonitrua cœlo

Horrida concuſſas agitant in prælia nubes,
Diviſo in ſeſe concurrit robore cœlum,
Excuciturq; poli vaga flamma ardentis hiatu:
Terribiles interq; acies, ſonitumq; tremendum
Frangitur adverſo colliſum in fulmine fulmen.
Aſt intempeſtà ſerus ſub nocte viator
Attonitus ſpectat cœlo pendentia bella:
Sic ſeim bella parant, ſic ſe inter fulmina claſſes
Præcipitant, ſic flamma volat, ſic voluitur ignis.
Fulmineos contra fremitus ardentior ibat
Oſtroſaxonides, mediosq; ruebat in hoſtes.
Puppibus hinc Bruedan, illinc deturbat Oquendum.
Sulphureis confecta globis lacerantur apluſtra
Linteaq;, & raptæ fluitant ſuper æquora tonſæ.
Per laceras tamen ille trabes, lataſq; ruinas
Ibat in adverſas horrendo marte triremes.
Proxima quæq; ratis truncata reſultat in vndis
Ordinibus ruptis; Latus vno abraditur ictu:
Excuſſi medio turbantur in æquore remi.
Dum titubat mutilata ratis, contorta procella
Sulphuris acta venit, ſubitoq; in turbine verſat.
Iactatur cœlo clamor: miſerabile carmen
Semineces tollunt inter ſua funera nautæ.
Diſſipat infractas adverſo marte triremes
Hinc Verus victor, victor Devoraxius inde.
Oſtroſaxonides pulſos certamine primo
Vt videt Hiſpanos; auctas in prælia vires
Intulerat, maiora animo molimina verſans.
Obiicit anguſto cataphractas æquore naves
Agmen Apoſtolicum (ſic nomina ſacra profanat
Barbaries illota, arq; alti incuria cœli)
Hiſpanus. Iamq; huc vigilantior advolat heros
Oſtroſaxonides, huc pulſis Verus Iberis.
Huc præſtans animi properat Suſſexius heros
Cui ſtimulum ingentem ſub pectore gloria fixit.
Maior in ambiguo ſplendet certamine virtus;
Auſaq; maiores animi maiora ſequuntur.
Tuq; adeò ventis Clifforde in vota vocatis

Acce-

Acceleras; pariterq; alij, quas traxit in arma
Sublimes animas, atq; vrget in ardua virtus.
Omnibus vnus amor martis, ſententia cunctis
Vnica ſtat, pulchrâ vitam pro laude paciſci.
Atq; alia iam parte Phalanx animoſior ardet
Præripuiſſe vias; animo Suthwellius alto,
Et pugnæ inſigni fama extimulante Carous,
Præcipites in bella ferunt ſpirantia martem
Pectora, & in magnum rapiunt certamen Iberos.
Quos omnes pronos ruere in certamina tantæ
Laudis, vbi Howardus vidit, Norfolcia proles,
Extorſit lachrymas iuveni indignatio iuſta
Et dolor. Heu quæ nos, ait, invidioſa fatigant
Conſilia, immemores decoris ſegneſcere caſtris.
Dumq; alij pulchros virtutum in meſſe labores
Expediunt: ſoli gerimus ſine ſanguine bellum?
Hoſtilem ſoli ſpectatum advenimus oram?
Non ita degenerem dextram inſtituere parentes.
Arguet indecoris nos ætas nulla: nec vnquam
Heroum, vitio, gens, infamabere noſtro.
Dixit, & exilijt propria de puppe, aliamq;
Scandit, quæ tanta tub ſorte ſuperbior ibat.
Iamq; propinquabat belli quà plurimus ardor
Incubuit, ſocias vires adiungere certans.
Obſtitit Andradius properanti, hic tendere contra
Obiectuq; ratem Ralli intercludere ſperat.
Hoc magis accenſus ſtimulo Norfolcius vrget.
Et queritur lentam ire ratem, tardumq; magiſtrum
Acrius incuſat: Talin' ceſſabitur, inquit,
Tempore, & Hiſpanus prædâ ditabitur Angla?
Aut nos poſt pugnas veniemus, & vltima turba?
Acceleremus, & ô, medijs me ſiſte periclis.
Dixerat: at vento ratis ibat adacta ſecundo.
Andradiumq; petit. Iam ſe ſubducere furtim
Andradius; ventis iam commendare ſalutem.
Non tulit Howardus; tergoq; fugacis inhærens
Navigij, revocat q; fugam, domuitq; retractum.
Flammiferos etenim iaculata per aera nimbos

Intonuit furibunda ratis, radice ſub ima
Vellitur Andradio ſerò ſua fata gementi
Malus, & ingenti diverberat æquora caſu.
Tum demum arbitrio victoris dedere ſeſe
Andradius domitus, pacemq; expoſcere votis.
Altior his ſpolijs, magis & metuendus Iberis
Moubraides ſeſe intulerat ſublimis in armis.
Iam ſociæ coiere manus. hinc vndiq; martis
Exanimes vis non toleranda fatigat Iberos.
At vero parte ex aliâ victricia ſigna
Intulit, & bello furit armipotentior heros
Oſtroſaxonides; fatiſq; ingentibus actus,
Præcipiti, quacunq; ruit, trahit agmine martem.
Sternitur occurſu Lopas, Valienta, Ricalda.
Frangitur immani Marolinum fulmine roſtrum,
Tranſtra revulſa iacent: fundo revoluta ſub imo
Suppara vertuntur. Tum vulnere ſaucia crebro
Immodicis aperitur aquis luxatior alvus.
In puppem dominantur aquæ, quam fauce retortam
Vorticis, horrendo raptam vorat æquor hiatu.
Diffugiunt viſu attoniti. Trepidante volatu
Sic timidæ fugiunt aquila veniente columbæ:
Ille autem horrendo ſtrepitu diverberat alas
Arma infeſta movens, roſtroq; cruentat adunco
Exanimem, laceratq; immitibus vnguibus hoſtem.
Haud aliter victor ſe ingentibus intulit armis
Oſtroſaxonides: magna quem mole trahebat
Martia præcipitem virtus, & numen, in arma.
Ecce autem immani ſubvectus mole Philippus
Vertitur, & pigris ſuperambulat æquora velis
Tardior, atq; ingens lento ſtat marmore turris.
Viderat: & magnâ compellat voce magiſtrum
Oſtroſaxonides. Viden' vt ſub mole ſuperbus
Ambulat, & claſſis ſeſe flos iactat Iberæ?
Et manet Hiſpanæ pars tanta relicta ruinæ,
Anglica Cantabricis quum ſtrauerat æquora velis
Vis ruitura ſuâ ſub mole? minata Britannis
Horrendas clades, & ineluctabile bello

Excidium, & victis quæ dura ac dira parantur
Omnia; ludibrium famæ reditura iuuentus?
Experiar numquid virtus amissa Britannis
Littoribus, propriis hic restituetur in oris.
Huc tandem mihi flecte ratem, propiorq; Philippo
Anchora me figat; sic dixit & æquoris arctis
Concurrunt spatijs in mutua fulmina naues.
Turbine pulsa grauj latera intonuere Philippo.
Insequitur fremitusq: virûm, gemitusq; cadentum.
Prospectum eripiunt flamma vndiq; & vndiq; fumus;
Et subito involvunt cæcâ caligine cœlum.
Iam clarâ sub luce nigris nox incubat alis.
Per tenebras, fumosq;, cruenta per arma, per ignes
Ostrosaxonides audentior ibat in hostem.
Armatos aditus virtuti fata recludunt.
Vt Cacum Alcides quondam, sic ille Philippum
Insequitur, fumum atq; incendia vana vomentem,
Victor in aduersam dum navem Essexius ibat
Horridior solito; super influit imbribus ora
Sudor, sulphurei fera pulueris acta procella
Verberat olli oculos, & sparso verberat ora
Puluere. stat nigris vt quondam Memnon in armis.
Ardens ille magis, vtq; expugnare carinam
Cedentem & quasi iam domitam subducere certat.
Nec mora, nec requies, ipse arduus instat vbiq;
Nunc pila, nunc iaculum, nunc spicula turbine torta
Viribus acta volant validis: flammæq; furentes
Sulphureas trepidum pestes iaculantur in hostem,
Obruus imparibus fatis, ac viribus, amens
Celtiber abiectis aufugit Apostolus armis:
Naufragio sperans victricem eludere nauem
Ostrosaxonidæ. sic cladem clade redemptam
Aestimat, & pelagi miser in sua fata furores
Sollicitat; cæcoq, ad proxima littora cursu.
Vertitur, infesti vbi naufragus hæsit arenis.
Ostrosaxonides sequitur, supraq; cadentem
Terribili sonitu victricia concutit arma.
Ecce autem Hispano cladem minitata supremam

Terra-

Terra fretumq; ruunt; genti meditata ſuperbæ
Pernicies certas, & inexpugnabile bellum.
Icta ſub infeſtâ tellure refringitur alvus,
Aequora per rimas penetrant. Sed plurimus horror
Ignibus, & ſubitis medio ingruit æquore flammis.
Namq; per obſcuras media ſub puppe cauernas
Corripuere ratem flammæ; vis ſubdita nigri
Pulveris indomitum bacchatur: ad æthera nubes
Voluitur vndantis flammæ; furit inter arenas
Ignis, & avulſis feriuntur ſidera roſtris:
In flammas abiere fori, charcheſia, clauus,
In cineres tabulata cadunt: cecidere rudentes
Antliaq; & raptæ volvuntur in æthere proræ.
Oſtroſaxonides tanto ſuper omine fixus
Oſtupuit, dubius quid talia monſtra minentur.
Quidue ferant, quam tanta luem portenta reſignent:
Magne heros confide deo; tibi militat æther,
Oceanuſq: pater fluidis tibi fundit ab antris
Armatas commotus aquas: & gurgite pugnans,
Auxiliatrici ſequitur tua caſtra tumultu.
Te duce fracta cadit pœnas luitura profani
Impietas cultus; tanto ſub vindice ſurgit
Preſſa fides; nec bella moues ſine numine magno,
Te duce ſacriligos elementa armantur in hoſtes,
Subſidio tua caſtra iuvant freta, ſidera, tellus.
Ad tua conductæ famulantur claſſica flammæ.
Parte aliâ medio dum vertitur æquore Verus,
Verus ab indomito ſtimulatus in Iride Marte,
Tanti pars ingens belli; ſuper arma decoro
Sulphure ſordidior: redeuntes littore crebro
Subſidio conferre viros atq; arma triremes
Conſpicit, & fractas bello reparare cateruas.
Non tulit hæc animis Verus: mediumq; triremes
Inter & hoſtilem claſſem ſeſe arduus infert.
Exoritur ſubitæ facies miſeranda ruinæ,
Corpora cæſorum rapiuntur trunca per auras.
Et volitant vacuum iactata per æthera membra:
Tantum deſævit; tantum furiata per vndas

Se tulerat, tantùm acta fragoribus intonat Iris.
Fortè ferebatur dubio de gente Sicambra
Aequore, & in brevibus collapsa ruebat, & alto
Navis arenosi luctatur in aggeris æstu.
Hanc intercluſam geminæ cinxere triremes
Et gemino hærentem feriunt terrore Sicambrum.
Ille ferox fruſtrà, nunc lenta inſudat arena;
Nunc comprenſus opem ſociorum implorat; at illi
Ignari ſua fata ſecant, ſua bella ſequuntur.
Illum indignantem ſocioſq; in ſera vocantem
Auxilia, inteſtis medium rapuere carinis,
Inſuper horrendoq; inſultant marte triremes.
Luctantem Howardus celſa de puppe Sicambrum
Aequoreum terrorem inter geminaſq; triremes
Conſpicit: Ingentiq; animi caluere furore,
Intumuitq; minis, & virtus advocat iras.
Heus quæ te, iuvenum fruſtrà fortiſſime, dixit,
Improba tam duro poſuit fortuna periclo?
Tantan' ab indigno virtus cadet obruta caſu?
Aut ego terapiam tot ab hoſtibus: aut ego tecum
Communes caſus, communia fata ſubibo.
Nec captæ Hiſpani virtuti illudere ſperent
Fraudibus ac furtis, ita nos Thamiſina reductos
Accipiat ſtatio, reduces & reddat amicis.
Dixit, & ingenti giro circumdat Iberos,
Vitabundus agens per marmora tuta carinam;
Ac ſubitò inverſis velis, iam fulminis inſtar
Aduolat; & frangit nec-opino marte triremes,
Turbinibuſq; ferit crebris. Dum fulminat, illæ
Effugium quærunt, ſed enim formidine cæca
Impulſæ, dubijs mox præcipitantur arenis,
In quibus hærebat ratis illaqueata Sicambri.
Iamq; agitant laſſos in eodem gurgite remos;
Languida iam iactant in eodem brachia cæno.
Iniecto Howardus puppem reuocante remulco
Extrahit incolumem; & ovantē in tuta Sicambrū.
Iamq; animi redeunt; ſubitamq; inopina ſalutem
Spes tulit, & feſſis ſurgit fiducia rebus.

Tum

Tum vero in victos coeunt communibus iris,
Ingeminantq; minas Moubraius atq; Sicamber.
Tandem fracti animi, ac domitæ iacuere triremes.
At medias acies inter medio æquore fertur
Præcipitata Sicambra cohors: furor iraq; dextras
Armabant; animos atq; effera facta tyranni
Exacuunt in bella truces. Lodouicus in armis
Dum furit, hinc Batani comitãtur, & inde Sicambri,
Fida animis, duriſq; phalanx exercita bellis.
Interea horrendus fertur furor æquore toto,
Vndiq; fracta cadit magno gens impia bello.
Ac velut in magno quum, tempeſtate coorta,
Naufragio fremit ira maris: iam tranſtra, carinas,
Antennas, proras,, malos, tonſaſq; natantes
Diſijcit iratis pelagus truculentius vndis:
Naufraga ſic toto diffunditur æquore claſſis
Hiſpanæq; ruunt vires; cadit impetus omnis.
Voluuntur vaſto fractæ ſub gurgite puppes
Arma virũm, clypeiq;, & Iberica gaza, per vndas.
Oſtroſaxonides vt bello vidit Iberos.
Ingenti domitos, ſtagnantia ſanguine fuſo
Aequora, vi victas immani mole carinas,
Reliquias belli tenues formidine pulſas
In ſua præcipiti ruituras fata furore:
Erigit ingentes animos; maioraq; voluit
Auſa, vt ſe ſenſit manifeſto numine ductum.
Advocat (accenſus maioris imagine pugnæ)
Ductores primos. validoſtant agmine ſtrictis
Enſibus obnixi; & fumantia cœde recenti
Tela gerunt, clypeoſq; immani vulnere foſſos:
Celſior ipſe loco puppi ſic inſit ab alta.
Quà virtus vocat, & quà numen in arma, ſequamur,
Abrumpenda mora eſt omnis; nec verba morentur
Virtutem. rapidum muris advortite bellum.
Nunc etiam veluti captâ trepidatur in vrbe.
Exhauſtas orientis opes, exhauſta cadente
Littora ſub Phœbo iactant vtriuſq; rapinas
Axis; & in tumidas convertitur India Gades.

Hæc manus excidium vobis patriæq; minata.
Scilicet hæc dabit ora duces, dominosq; Britannis?
Nos habiti viles animæ: nos perdita turba,
Hiſpano devota iugo; in iuſſa ſuperba,
Quæ tulit excelſâ Romanus Iuppiter aulâ,
Omnia ferre libet. Tandem cognoſcite, ſerua
Anglia quos fuerat dominos habitura ſuperbos.
Nunc patriæ veſtris vindicta repoſcitur armis.
Ferte citi ſcalas: huc, huc convertite vires.
Imus in hoc miſſi magno ſub numine bellum.
Interea magno turbantur mœnia luctu,
Horriſonos gemitus, & fœmineos vlulatus
Ingeminant matres, animis demiſſa iuventus
Rara tenet muros, nec ſpem iam ponit in armis.
Stant mœſti muſſantq; patres: vrbiſq; ruinæ
Attonitos feriunt. it ſciſſa veſtâ ſacerdos
Squallidus, & ſuperùm nequicquam advoluitur aris.
Ecce per attoniram raptus verboſior vrbem
Per fora, perq; domos, fraterculus agmina Soto
Contrahit, atq; iubet certam ſperare ſalutem.
Certa fero, cives, ſalvam confidite (dixit)
Diva dei genetrix noſtram tutabitur vrbem.
Primores vrbis nutantia fata videntes,
Concilium duris ſubitum de rebus habebant.
Huc medio tractus fraterculus agmine Soto
Intromiſſus adeſt. coram vt conceſſa loquendi
Copia, de ſacro vates hæc pectore fudit.
Diva dei genetrix ſemper puriſſima virgo,
Laus mundi, regina poli, dea, noſtra remulcens
Pectora, dæmonibus terror, miſeris mediatrix,
Candidior lunâ, Phœbi fulgentior aſtro,
Angelicas turmas inter dominata, marina
Stella, quies feſſis, Paradiſi porta, ſalutis
Portus, dulcedo, vita, & ſpes noſtra Maria
Ipſa mihi ante oculos manifeſtâ in luce refulſit;
Admonuitq; ſuum vatem docuitq; futura.
En, ait, hæreticâ veniet de gente iuventus,
Vrbis in excidium veſtræ, clatſiſq; ruinam.

Sed

Sed ruet hæreticâ veniens de gente iuventus,
Ipſa meas magno firmabo numine Gades.
Indubitanda fides verbis. Confidite ciues,
Diva dei genetrix noſtram tutabitur vrbem.
Fulmina Romani ſi quid valuere Tonantis,
Stat noſtro gens tota iugo devota Britannûm,
Deijcienda throno rapitur regina ſuperbo.
Fœdera iracta iacent populi, legeſq; refixæ
Et regni ſacrata fides; regalia iura
Antiquata: manet raptoribus Anglia præda.
Et niſi ridendas iras, & futile fulmen
Tarpeio vanus iactet de culmine Papa:
Viribus eſt iam iam ruitura Britannia noſtris.
Quare Angli metuant: at vos confidite, ciues,
Diva Dei genetrix noſtram tutabitur vrbem.
Nuntius intereà trepidam triſtiſſimus vrbem
Perculerat, frangitq; patres, turbatq; ſenatum.
En, ait, ô cives, tantumne per otia vobis
Fratrum fabellas vacat exaudire furentum?
Obruitur magno claſſis Cotmuſia bello.
Flamma, fretumq; rates rapiunt. ſub gurgite veſtras
Oceanus iam voluit opes. heu fata! Britanna
Hiſpano victrix dominatur in æquore claſſis.
Reliquiæ belli tenues formidine pulſæ
In ſua præcipites vertuntur funera flammis.
Et campos tenet Angla phalanx, vrbiq; minatur
Exultans, domitâ iam claſſe ferocior hoſtis.
His dictis turbati animi: trepidoq; tumultu
Vrbs ruitura ſuo ſe condere funere viſa.
Iamq; equitum medio portis emiſſa tumultu
Ala volat. victiq; iterum ſua vulnera verſant.
Arma reluctantes animis, trepidâq; retractant
Tela manu, bellumq; adverſo numine tentant.
At legio Angliadûm campos inſtructa tenebat,
Victriceſq; in bella manus, horrentiaq; arma
Intulit, & gladios rorantes ſanguine vibrat.
Vt primùm infeſtis concurrunt agmina ſignis,
Sanguineoq; tubæ ſonitu crepuere canoræ:

Continuò

Continuò eximijs propulſans viribus Anglos
Turbidus ingreditur campum Bracomontius. Ille
Et Colon, & Coxum, geminoſq; obtruncat Alanos.
Almonacida ferit Patiſonum, Alameda Ferillum.
Motlius, Archeriuſq; cadunt Hurtadonis haſtâ.
Primus in arma ferox fertur, volat agmine primus
Oſtroſaxonides. It turbine torta per auras
Haſta leves, ruptiſq; Alamedæ infigitur armis.
Ille ſuo præceps in vulnere voluitur. Indè
Hiſpanos iam terror agit. Cadit inclytus armis
Hurtado: ruit ad nigras Bracomontius vmbras.
Oſtroſaxonidem inter fera bella ruentem
Laudum arrectus amor rapuit. Crevere ſub armis
Ingentes animi, atq; invictæ robora dextræ.
Extemplo turbata acies: verſiſq; retorquet
Agmen Iberus equis: & mœnia prendere certat;
Nulla ſalus campo; clauſâ ſpes omnis in vrbe.
At non Angliadûm duras evadere dextras
Turma fugax potuit, volitet licet illa per auras,
Ocyor & ventis, & arundinis ocyor alis.
Ordinibus miſtis omnes fugiuntq;, fugantq;:
Hos timor, aſt illos inſignis gloria facti
Præcipites tulerat campis, & conſcia virtus.
Dum ruit ad muros miſta ala Hiſpana Britannis
Vertitur in magnos virtus accenſa furores.
Almonacida cadit, pereunt Baruoſa, Bravoq;,
Sternuntur gemini pinulâ de matre Velaſci
Aluarus, atq; Gomes. miſſâ cadit Aluarus haſtâ
Glande Gomes; liquido fixus cava tempora plumbo.
Sæpe etiam Hiſpanis animos iræq; dolorq;
Extimulant; Angloq; rubent in ſanguine dextræ
Hoſtiles. Carrus, Daviſonus, Aræus & Aclon
Torquemadæ cecidere manu. qui robore dextræ
Inſigni exultans pinum quaſſabat Iberam.
Cui præſtans animi Winfeldius obvius ibat
Fraxineamq; rotat collectis viribus haſtam.
Inſuper ipſe etiam telum arduus vrget. adacto
Torquemada obruitur tranſfixus pectora ferro.

Illum

Illum inter pugnas rapuit mavortius ardor,
Dum tamen obſtantes vrgens Winfeldius hoſtes
Ardet in arma ruens :en turbine pulſa per auras
Ferrea ſphæra volat ; ſubito crus vulnere fixum
Corruerat. Sed Pæoniæ non ille moratus
Artis opem, ſtimulis ardentior ibat in arma.
Dumq; ita diverſos vario ſub marte labores
Iminiſcent campis, pavidæ ſimul imminet vrbi
Vtraq; turma ruens, portiſq; irrumpere certat.
Sed metuens vrbana cohors, fortè inter Iberos
Ne ſimul Angla Phalanx hoſtilibus irruat armis,
Excluſos equites miſeranda in morte reliquit.
Oſtroſaxonides revocans a cæde cohortes,
Abſiſtamus, ait : nunc, ô, maiora morantes
Bella vocant ; maiorq; movet molimina Mavors.
Ille mihi fortes inter fortiſſimus eſto,
Audendo quiſquis deſertis primus ovantem
Mœnibus intulerit martem, qui primus in armis
Fortia turbatis figet veſtigia muris.
Hæc ait accelerans, martemq; ad mœnia torquet;
Ipſe inter primos audendi maximus autor
Ante-volans, avidus primo ardet in agmine princeps
Imperio parere ſuo, primo agmine certat
Arma ſuper captos victricia ſiſtere muros.
Dum properat ſimul hæc revocantibus infit amicis.
Vſqueadeone premi tanto ſub crimine famam?
Nec vero noſtri tangit vos dedecus ingens
Nominis, & nullis abolenda infamia ſæclis?
En ait, (oſtendens vbi iuncta crepidine ſaxa
Mœnia tentantes rapuere per invia greſſus)
En mortis timor hos vt ſaxa per invia raptat.
Scilicet & nobis ſtimulos in bella minores
Lucis honoratæ fructus dabit? Invia ſcandit
Saxa timor : virtuſne iſthuc iam ſegnior ibit?
Hæc ait, & ſatagit faſtigia prendere muri
Invia tentaturus. honor ſublimior alas
Addidit, & famæ venerabilis excitat aura.
Iam ſuper excelſi raptus faſtigia muri

Eminet, & captas ingens ſuper-intonat arces.
Sic domitor Lybiæ Tyrias conterruit arces
Maior Scipiades, Martis quum fulmine fractam
Reſtituit patriam. ſubitas Carthago ruinas
Horruit, & verſis viguit gens Romula fatis.
Sic domitâ quondam Solymarum fulminat arce
Veſpaſianiades; ſcelerum Iudæa potenti
Indomita ceruice tulit ſub vindice pœnas.
Ille ingens vltor ſcelerum, ſæuiſſimus inſtat,
Involuitq; ferox furijs, atq; obruit vrbem
Incubuitq; malis, & in omni turre furebat.
Haud ſecus exultans Cotinuſæ in mœnia victor
Oſtroſaxonides totam tremefecerat vrbem,
Et reuocat magnâ fugientes voce cateruas,
Increpitans, ô victi animis ô numine victi,
Quos ô quò fugitis? terrâ quæſitus & vndis
Hoſtis adeſt, tentatq; animos, & prouocat vltrò.
Hæccine noſtrates euertere poſſe penates
Pectora ſperarunt? excuſſaq; ſceptra potenti
Extorquere manu? leges imponere victis
Hiſpanas? Anglos ſolio turbare Leones?
Quin ſcelerum meritas iam reddite ſanguine pœnas:
Dixit; & attonitæ ſubitis terroribus vrbi
Inſiluit; fidâ latus incingente caterua.
Pars ſe deijciunt ſaltu, pars mœnia ſcandunt,
Effringunt alij portas, ferroq; ruinas
Expediunt; fracto volvuntur cardine poſtes;
Adiungunt ſeſe ſocia agmina. Sæuior intus
Oſtroſaxonides nullo diſcrimine cædem
Suſcitat. In latebris pauidi conduntur Iberi,
Ac velut irrumpens lupus inter ouilia plena
Ora cruenta quatit; ſubitâ ſub morte laborat
Agmen iners; rapit ille furens, atq; ora cruentat
Sanguinolenta ferox, & inexorabile frendet.
Oſtroſaxonides pauidâ ſic fertur in vrbe
Arma cruenta rotans; vbi poſtulat vſus ab omni
Parte manu metuendus adeſt, inopinaq; cunctis
Intulit arma locis; animis diuinior ardor

Incidit

Incidit, indomitumq; agit ingens numen in arma.
Parte alia ingentes in Ibero ſanguine cædes
Bagnolius cumulat. Mendoſa, Coranus, Aranda
Bagnolij cecidere manu; ruit ille per arma
Denſatas acies inter, quà conſcia virtus
& quà pugnantem tulit imperterrita dextra.
Vnum omnes circũglomerant, vnum agmina cingunt;
Dum dolor atq; pudor pulſos revocauit in arma;
Obruitur numero; ſtetit imperterritus ille.
Si qua animis virtus, ſiqua eſt fiducia belli
Huc conferte manus. Anglam cognoſcite dextram.
Nec numero moveor; numero mihi maior ab iſto
Gloria ſurgit, ait: ſublatumq; arripit enſem
Ancipitiq; rotat ter circum tempora lapſu,
Perq; latus geminum, per & ilia rupta Caranzæ
Implicuit; ſubeunt alij: confunditur armis
Vndiq;; labentes per plurima vulnera vires
Vt ſenſit, gladio ſibi iam per ſtragis acervos
Stravit iter, redijtq; ſuos modò tutus ad Anglos.
Forte ſequebatur depulſos victor Iberos
Oſtroſaxonides. confuſos ſanguine vultus
Bagnolij vt multo videt, & rorantia miris
Ora modis: ô macte animis ingentibus, inquit,
Sic eat: & noſtrum tanta cum ſtrage cruorem
Hoſtis emat, pretio nos iſto bella geramus.
Militiæ intereà tantæ cape præmia, dixit:
Et qui ſanguineis ſe inflexerat armiger armis,
Surgere iuſſus eques; animos honor additus addit.
Vicus in vrbe fuit mediâ, quem longa per ædes
Contiguas gemino cinxit vicinia muro.
Huc attracta rotis ingentis machina molis
Siſtitur ante forum, velut ore chimæra minaci.
Illa vel ingentes raperet radicibus arces
Vel quateret montes, vel ſede revelleret ornos.
Inſita tam rabies: tantos horrenda per ignes
Tartara ventre rotat; tantos vomit ore furores.
Compoſitos ſtetit ante dolos armata caterua
Quæ tegat inſidias: ſubitiſq; parata ſub armis

Propugnaturæ ſpeciem factura cohortis.
Huc ſeſe Angla phalanx armis & numine tecta
Intulerat. Iamq; infeſtis concurrere ſignis
Vndiq;: concurſu primo vertuntur Iberûm
Terga, patentq; doli; metuenda apparuit ingens
Ore chimæra ferox, & mortes mille minatur.
Et qui ſulphureo de puluere ſuſcitet ignem
Tortolus adſtabat iuxtà, flammaſq; miniſtrat.
Terq; manu admotà rapuit de ſulphure flammam,
Ter pia ſulphureo ſe in puluere flamma repreſſit,
Ter fractæ cecidere manæ; quum protinus audax
Advolat, egregiuſq; animi, dextræq; potentis
Sauagius, raptumq; ingenti vulnere fixit
Tortolon, intorto latus inter & ilia ferro.
Corripuitq; rotas & circumducta chimæræ
Pondera libratæ facili molimine verſat.
Iam converſa retro fugientem territat hoſtem
Machina: Iam ſcelerum meminit, faſtuſq; nefandi
In dominos ruitura ſuos: iam ſulphura flammas
Arripiunt vltro, ſubito Cotinuſa fragore
Contremuit, ſonitum recitauerat vltimus Atlas.
Sibilat horrendum vi fulminis acta per auras
Sulphureâ ſub peſte furens pila flammea, lapſu
Horriſono populata viros, populata domorum
Culmina: tum ſubitis labentia templa ruinis
Corripit, obruitur paſſim deuota nefandis
Turba miniſterijs; in ſanguine lapſa ſuorum
Sacrificûm ſimulachra cadunt: pariterq; cadebat
Sacricola, atq; miſer quod invtile numen adorat.
Obſtupuit fatis: rupitq; ſilentia magno
Oſtroſaxonides clamore: deus, deus hic ſtat,
Inquit, & hoc magno geritur ſub numine bellum.
Fundite vota deo qui nutu cuncta gubernat
Bella ſuo; pietas cui cordi, & conſcia recti
Pectora; ſinceræ qui relligionis alumnos
Protegit, & magno tutos ſub numine firmat.
Hinc animis virtus, hinc fuſum robur in armis;
Hinc fluit, huc redeat geſtarum gloria rerum.

Dixe:

Dixerat, & fusis penetrauerat æthera votis.
Angliadæ interea captâ dominantur in vrbe.
Cuncta armis oppressa tenent. siluere canora
Cornua: clangores rauci posuere tubarum.
Nusquã hostem nusquã arma vident: tectisq; latentes
Mænibus excussos paries propugnat Iberos.
Vt deploratis cessit fiducia rebus,
Vndiq; depulsos spes vltima traxit in arcem.
Ecce ingens meditata scelus librante Madrauo
Machina mortiferos latuit sparsura furores.
Obuoluens animis scelus intra tecta Madravus
Delituit, quumq; æquà manum libraret amussis,
Oistrosaxonidem oculo obseruabat acuto.
Ter face flamma micat, ter se pia flamma retorsit;
Oppressitq; nefas. luso stupet ille labore:
Atq; iterum adnixus, scelerumq; immane resumit
Ingenium: atq; iterum fracti cecidere furores.
Tandem convictus fatis, exclamat Iberus,
Vincimur. heu frustra pugnæ tentamus arenam.
Gentis Iberiacæ non si mihi robora lecta
Omnia conueniant, non si mihi Papa salutem
Spondeat, hoc sperem Angliadis occurrere bello.
Obtecti fatis pugnant; ceu classe per vndas
Molimur pugnas, ceu stat confligere dextris,
Instructaq; æquis acie concurrere campis:
Atq; acie obruimur campis, & classe per vndas.
Insidias etiam positas irata refutant
Fata, furorq; suâ noster se mole fatigat.
Quin tandem, ô ciues, quod rebus restat egenis,
Mittite qui dedant arcem, pacemq; reposcant.
Siqua salus superest, lapsis succurrite rebus.
In Winfeldiadem contrà diversa ferocem
Fata ruunt. Ille eximijs fulgentior armis
Vectus equo pugnas insignis obibat Ibero.
Ecce autem horrendus globulo stridente per auras
Fit fragor, & liquidum stetit inter tempora plumbum.
Victores morimur, clamat: succumbere tanta
Conditione placet; libeat cecidisse sub armis

Inclyta dum noſtro victoria ſanguine ſurgat:
Vix hæc extremâ referebat murmura morte.
At neq; nunc Howardiadæ memoranda ſilebo
Facta ſenis; virtus cui priſco à ſanguine ſurgit.
Conſilio trahit ille animos, & temperat iras
Neſtoris ingenio. Domitori claſſis & vrbis
Subſidijs Howardus adeſt; & bella ſecundis
Auſpicijs renovat. cuius, tuitura ſub Anglo
Ardua ſanguineis rubuerunt mœnia ſignis.
Occiduo interea ſe condidit æquore Phœbus
Et magnâ terræ res feſſas voluit in vmbra;
At nulla Hiſpano permittunt ſidera ſomnum,
Nulla quies ægris animis; ad ſidera ſera
Mordaces pavido torquent ſub pectore curas.
Quumq; aurora novum ſuffuderat aurea cœlum
Lumine; iam miſſi tandem de pace petenda
Legati redeunt, atq; hæc mandata reportant.
Venimus, ô cives, victoris ad ora Britanni,
Vidimus armatas dextras; affulſerat olli
Ignea lux oculis, auguſto purior ardet
Fronte ſerena fides. mens altum ſpirat honorem.
Nobis ille alto reſponſa ferebat ab ore.
Cedite victi vrbis, caſtri diſcedite muris;
Non mihi cum domitis bellum. ſententia certa eſt,
Parcere devictis, armatos frangere bello.
Sic mandat victor. Victos mora nulla retardat:
Continuò caſtro cedunt, atq; vrbe catervæ;
Iamq; iræ ceſſere ducum: ceſſere rapinæ
Militis. Intactæ mirantur lberides Anglam
Inter bella fidem, caſtoſq; in milite mores.
Attonitum proceres Angli rapuere Madravum,
Dum ſtupet in rerum fatis, adverſa ſuorum
Omnia; dum reputat fœlicia fata Britannûm:
Senſerat Angliadûm manifeſtum numen in armis.
Atrox ingenium paulatim, animoſq; priores
Exuit, & multo ſic interpellat honore
Oſtroſaxoniden, ac tandem talibus infit.
Heros magnanimûm flos delibate virorum,

Dive Deo confide tuo. tanto auſpice bella
Admiranda moues, nimiumq; fauentia fœlix
Fata trahis, noſtris & inexpugnabilis armis.
O quoties volui (mihi fas meditata fateri
Crimina; quandoquidem cæptos per bella furores
Fregerit, attonitoſq; animos attraxerit vltrò
Et præſtans virtus, & veſtris numen ab armis)
O quoties liquido tua rumpere tempora plumbo
Tentabam: toties, fateor, tua fata nefandum
Avertere nefas; tandemq; agnoſcimus armis
Indomitum nihil eſſe pijs: nil ſtare profanis
Viribus, heu domiti ſero ſapiemus Iberi.
Non hæc Romanâ qui fruſtrà fulminat arce
Pollicitus nobis: ſed credula pectora captat
Fraudibus, & cæcos immittit in arma nefanda.
Heu quoties ruimus? quoties ſtimulatus in Anglos
In ſe converſa vi præcipitatur Iberus,
In ſua fata ruens? Romana fraude quouſq;
Ludimur, immemores ſcelerumq; artiſq; nefandæ?
Quid noſtro nugæ exitio, pretioq; redemptæ
Papales valuere? quid ò, quid profuit Agnus
Sanctulus Oceani vaſto ſub gurgite preſſis?
Fratrum ficta fides; ignava potentia Papæ.
Vſqueadeon' perijſſe placet? ſempérne videntes
Romano premimur monſtro? ſemperq; nefandis
Credula ludibrijs agitatur Iberia Romæ?
O admiranda ſub virgine principe fœlix
Anglia! ter fœlix populi Regina potentis.
Nos vero miſeri in furias, & in arma nefaſta
Arbitrijs agimur Papæ; cæciq; furore
Romanas noſtro luimus iam ſanguine fraudes.
Quamvis Hiſpanos nec tanto ſub duce vinci
Pænitet: aut frangi puduit ſub virginis armis.
Nympha, duos tales tua ſi tibi terra tuliſſet
Angla viros: vltrò Romanas victor in arces
Irrueret ſcelerum vindex vltricibus armis
Excuteretq; dolos Papæ, fraudemq; retuſi
Fulminis, inſignis Romana clade Britannus.

*Inter virtutes Agnus-dei numeratur illud. Portatus mundè de fluctibus eripit vndæ. Sacrarum ceremon. l. 1. ſect. 7.

I fatis invicte tuis. Nec maior ab armis
Gloria, quàm posito surgit clementia bello.
Inter Iberiadas victor cantabitur Anglus
Herculeas donec celebrabunt sæcula Gades.
Tanta tuam post te famam monumenta loquentur,
Hercule fixa suo; sed ab Hercule rapta Britanno.

P. SIDNÆI FVNVS.

HEctorei cineres, & ſi quid in orbis Eoi
Funere crudelis fati violentia vertit:
Fœlices nimium cineres, fœlicia fata.
Ille ſed à magno vix debellatus Achille,
Vt luctus, ita laudis habet præconia magna:
Magna quidem luctus præconia; maxima laudis
Vatis ab ingenio ſub vtroq; ſonantia Phœbo.
O quibus æternos muſa evigilavit honores,
Viuite; corrodet neq; nomina veſtra vetuſtas
Nec mala fata prement: mundiq; per æva legentur
Atreides bellis, pelago iactatus Vlyſſes.
Nec minus & noſtri proceres valuere merendo.
Si virtus eadem mercedem poſcat eandem?
Æterno priſcis quam fingunt carmine famam,
Cur noſtris renuunt muſæ? nam nos neq; molles
Nam neq; degeneres animos damnamus avorum.
Victor enim terris, pelago Draco Victor, Iberûm
Terror, & Occiduo Mavortis fulmen in orbe.
Sed tamen accreſcit maior Sidnæus, & omnes
Antiquoſq; patres, & ſæcula noſtra laceſſit.
O quanti ante annos animi, quantum inſtar in illo?
Ingentis famæ ô ingenti accenſus amore
Quanta dabat documenta ortus, & martis aviti?
Continuò vt puerum iuvenilibus exuit annis,
Succreſcentem animo laudum ſpirabat amorem.
Depuduitq; habuiſſe pares: & tum quoq; princeps
Illuſtri reliquos exemplo ante ire volebat;
Et nunc ora patrum, nunc in ſe vota nepotum
Vertit, & Oxonij totas exhauſit Athenas.
Protinus admonitus mentem ad maiora reflectat,
Incrementa rapit virtutum; atq; alta capeſſit
Iam tum magna agitans, & nugas deſpicit Aulæ.
Vtilibuſq; ſuper curis, patriæq; ſalute
Sollicito iuvat eſſe animo. Tum cura recurrit
Quonam acies moderãda modo: quibus artibus hoſtẽ

Opprimat, & pacis quæ munia poſtulet vſus.
Illum in pace patres, illum & mirantur in armis.
Illum etiam Curij, illum etiam ſtupuere Camilli,
Et tanto externæ turbantur in omine gentes,
Et noſtri metuunt ſurgentia fata Catones;
Virtuteſq; viri varias, animiq; politi
Diuiſas partes varius ſibi vendicat orbis;
Nuper vt eſſe ſuum iuraret Gallia civem,
Germani hinc cupiunt, illinc gens Itala captat;
Sed Batavi fecere ſuum. Quaſcunq; per oras
Quocunq; in pelago Batavas vitabis arenas.
Heu meliùs Turcis, meliùs tradendus Iberis
Quàm Batavis credendus eras; fuge littora dira,
Et campos. vnis Batavis malè creditus heros.
Quas tamen ille vrbes, quaſcunq; immigrat in oras,
Certando rapuere omnes, tenuere morando
Indigenæmq; vocant, nulloq; eſt hoſpes in orbe.
Ille tamen ſolus tuus Anglia ciuis haberi
Et cupit, & meruit; ſoli tibi ſeruiat, inquit,
Hoc caput, & noſtra hæc ſoli tibi dextera ſudet.
Interea mirum vt momenta attraxerit heros
Ingenij; & magno magnus ſub ſidere creuit.
Attonitos habet ille ſenes; dumq; omnia feſſi
Sæcula perluſtrant, faſtoſq; & facta reuolvunt:
Vix pauci *in multis* longo repetuntur ab æuo,
Qualis Sidnæus numeratur *in omnibus* vnus.
Vnum adeò, per quas animantur ſæcula, muſæ
Delitias noſtri generis memoraſſe feruntur.
Hunccne etiam fati potuit violentia nobis
Eripuiſſe? ferox etiam hunc extinguere Mauors?
O triſtes nimium cineres, ô triſtia fata.
Vſqueadeò noſtros damnarunt fata poetas?
Nec poſſe æternæ meritas committere famæ
Virtutes, & facta viri? nec ad Hectora tractum
Flexanimas iterùm muſas, Phœbumq; vocare?
Heu quianàm tantæ cingunt præcordia nubes?
Quiſnam arma expediet? quis tanti pectoris ignes
Condere ſufficiet? quis tot monumenta recludet,

Horoaſq; animos? quis tantæ præmia laudi
Reſtituet vates? virtus ſine vate ſepulta eſt.
O triſtes nimium cineres, ô triſtia fata:
Arcades ô ſaltem, ſoli cantare periti
Arcades, ô, veſtras inter ſi carmina ſiluas
Maiore inſonuit calamo: ſecumq; canentem
Si ſummo valuit deducere Pana Lycæo:
Et quæ Mænalio ludebant vertice, nymphas
Pembrochiâ potuit ſi ſiſtere primus in aulâ:
Montibus hæc veſtris cantabitis Arcades, imis
Vallibus hæc, ſiluæ vobis valleſq; loquentes
Et triſtes cineres, & triſtia fata vocabunt.
Accipito has Thameſis lachrymas, & fletibus auctus
Ne pigeat pleno decurrere grandior alueo.
En pater vt ripas cumulo maiore fatigat
Fluminis, & noſtris excreſcunt imbribus vndæ.
Ecquid ad Oceanum quando tua flumina torques,
Ille etiam ſalſus tumido ſub gurgite, noſtris
Salſior ibit aquis? triſtes ô ſentiat ingens
Mertonidum lachrymas, atq; æquora molliat Atlas.
Et crudele gemens rauco cum murmure clamet,
O triſtes nimium cineres, ô triſtia fata.
Sed fauſtis auibus, magno duce, lecta iuventus
Ibit, & à tumidis Sidnæum expoſcet Iberis.
Inde metum incutiat latè, & Vilobēius enſis
Intonet, & ſævum cladis prorumpat in æquor.
At vero parte ex aliâ victricia ſigna
Inferat, atq; acies effringat avunculus ingens.
Cuius ab inviſto paſſim diſiectus Iberus
Robore, victrices gladios in viſcera ſumet:
Et nuſquam effugiet fatalis vulnera dextræ.
Quin etiam ipſe adeò tandem Parmēius heros
Crudeles cineres, crudelia fata vocabit.
Nos humiles animæ; nec enim molimina rerum
Tantarum noſtro condi patiuntur abore.
Tu tibi res tantas ſolus componere dignus.
Idem eris & fandi vates, idem autor agendi.
Nam quæ digna manent te carmina? gloria magna

Littoris Heſperij, noſtriſq; ingentior vmbris.
Quàmuis poſt cineres manſuram in ſæcula famam
Tu tibi feddideris, nulloq; tegere ſepulchro:
Nos tamen accinimus, noſtrum pia muſa volenti,
Si non victuro, ſtudium teſtabitur ore.
Excipietq; tuam famam, & mirabitur omnis
Poſteritas; perq; ora virûm verſabere vivus.
Atq; tuos noſtri poſt ſæcula ſera nepotes
Fælices cineres, fælicia fata vocabunt.
Eſt locus in Batavis infra diuortia Rheni;
Hinc vrbis ſurgunt Zutphenæ mœnia, latè
Illinc ſilua virens ferit aera vertice ſummum.
Interiecta iacet multi latiſſima campi
Planicies; illuc onus auxiliare propinquis
Hiſpani è caſtris referunt, vrbemq; petebant.
Sidnæus piceæ tectus caligine nubis
Bis centum lectis equitum comitatus, ad hoſtem
Improuiſus adeſt; animoq; in prælia prompto
Inſilit. Attonitus ſubiti ſtetit agminis hoſtis
Viribus, & belli iam detrectabat arenam.
Victi armis, & victi animis, ſtatuere coronam
Circum agere, & numero noſtras mcingere turmas.
Et bis confiſi numero perrumpere certant:
Bis tamen hoſtiles retrò ceſſere phalanges,
Et bis protritæ ſua ſe in munimina condunt.
Protinus inſequitur virtus inuicta virorum
Et furit in gladijs; oriturq; aſperrima cædes.
Hinc Ruſſellus, & hinc nullo diſcrimine ſæuit
Sidnæus; ſævumq; in aperta pericula martem
Præcipitant, pereunt Fuſius, Daualuſq;, Vogaſq;,
Andradioq; caput Ruſſellius abſtulit enſis.
Hic animi præſtans & magnis clarus in armis
Gonzaga Hannibalis titulos, & nomina iactans,
Sidnæum expectat, ſoloq; moratur in illo.
Vt verò pulchro fœdatum pulvere vidit,
O iuvenis, noſtris occumbere ſolus abarmis
Dignus, habe fatum, & fati ſolamina, dixit,
In manibus morituræ meis; erit Hannibal autor

Vulne-

Vulneris Ille refert; quid inania nomina iactas?
* *Vix ea nostra voco*; nec plura effatus, & ictum
Excipit, & flexum femoris transuerberat hastâ
Impiger; Ille iacet nuda moribundus arena.
Mactos hinc animos, & in arma inuicta ferenti
Robora, sulphureo de fulmine ferrea sphæra
Sidnæo interea minitata; sed excidit illi
Exiguum inde errans, & equino in fronte recepta est.
Continuo excipitur Sidnæus in arma secundo
Insuper actus equo, Mauortia crescere sensit
Pectoraq; indomitumq; animum bellator habebat.
Inde ruit præceps: & nunc metuendus ab omni
Sidnæus regione sonat, diuinior illum
Egit, & humano iam pectore maior Enyo.
Ecce autem eximijs longè fulgebat in armis
Insigniq; animi, laudumq; cupidine flagrans,
Et consternatos iuvenis Vilobæus in hostes
Ibat, & obstantes, qua se tulit impetus, vrget.
Sed nimium pugnæ studio provectus vt hostem
Longiùs insequitur, subitò coiere phalanges
Hostiles. Vilobæus in inter-cornua lapsus
Vndiq; contracto iam circumcingitur hoste.
Hunc vbi Sidnæus tanto in discrimine vidit,
Ingemuit, subitoq; acri sub pectore magnas
Concipit irarum flammas; animumq; minacem
Tollit, & heu frustrà genuit nos Anglia, dixit,
Si te sub nostris oculis Hispania prædam
Abducat, trepido vel te Vilobæ periclo
Protinus eripiam; vel si non possumus: vnà
Nos quoq; tam laudis comites, & mortis habebis.
Dixerat: & raptim quà plurimus horror in armis,
Quà furit indomitus belli deus, agmina rupit.
Per cædes, perq; arma viam sibi dextera fecit.
Fida cohors equitum sequitur; cuneoq; refringunt
Armatos aditus, atq; agmina rupta repellunt,
Audaces q; manus in Ibero sanguine lassant.
Et iam per totam victor Sidnæus arenam,
Et Vilobæus, agunt hostiles vndiq; turmas

* P. Sidnæi symbolum.

Præcipites, ducuntq; in ſeram prælia noctem.
Ac tandem feſſos equites à cæde reducunt.
Atq, hic ſulphureo iaculata è pulvere ferrum
Ecce iterùm ſcelerata manus librabat, adacto
Sidnæus globulo configitur, involat altè
In femur, & crurum per fragmina diſſipat oſſa.
Maior in extremis, & neſcia cedere virtus
Hìc etiam comitata virum; ſua vulnera nullo
Confeſſus gemitu ſeſe in ſua caſtra recepit.
Protinus in patriam divinam libera ab hu us
Pulveris hoſpitio divina anima emigravit.
Attoniti medio Batavi ſtupuere dolore,
Auſaq; ſurgentis fati quaſi fracta queruntur.
Te mæſti fleuere Scoti, Te durus Iberus,
Te Gallus (Sidnæ) ferox; & Rhenus obortis
Intumuit lachrymis. & te, tua ſæpe ſecuti
Deflebant & caſtra duces, & carmina nymphæ.
Et tua dignantur divinis plangere magni
Carminibus, mæſtiq; ſedent ad funera reges.
Anglia ſed nimio mentem turbata dolore,
Anglia mæſta ſuo veluti ſpoliata parente,
Anglia muſarum & virtutum orbata magiſtro:
Et quid agat neſcit, fatine incuſet iniqui
Momina? ſed querulam Batavorum in crimine vocem
Exonerat. Batavi mihi pignora redditis, inquit,
Redditis ô Batavi mihi pignora credita vobis;
Hæccine veſtra fides? vox flebilis vltima verba
Imperfecta refert ingenti occluſa dolore.
At muſæ ruptis iam fontibus agmine laxant
Liberiore ſuas venis ſalientibus vndas.
Currite, dixerunt, noſtris de fontibus, vndæ,
Currite, perpetuo lachrymaſq; è fonte perennes
Voluite. ſi quis adhuc noſtras bibiturus ad vndas
Miretur ſalſos fontes, & flumina ſalſa:
Teſtantur lachrymas noſtras hæc flumina, noſtræ
Sidnæus lachrymæ, noſtri Sidnæus amores.

FINIS.

C 4636
14582 SL

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION